
6
9MB
40
VITTORIO EMANUELE
NAZIONALE

HIERONYMVS PAPHIVS

AD PSALMVM DECIMVM, VNDECIMVM, ET DECIMVM OCTAVVM.

SANCTISS. AC BEATISSIMO Patri, & Domino nostro Domino Sixto Pont. Opt. Max.



CVM LICENTIA SVPERIORVM.

ROMÆ, Ex Officina Bartholomæi Grassi. 1586.

SANCTISS.^MO AC BEATISSIMO PATRI, ET D. NOSTRO: DOMINO SIXTO PONT. OPT. MAX.

HIERONYMVS PAPHIVS
Saxolen. Præpositus Fauen. Iu. Vt.
Doctor Salutem, ac Felicitatem Plurimam Dicit.





EMINI rectè sentienti, qui cælorum ordinem, pulchritudinemq́; nec nō syderum in eo existētium perpetuos, & immutabiles cursus, & omnia, quæ in hæc inferiora agunt, & influunt, quantaue concordi amicitia, ac mutua charitate inferna hæc, & illa superna se complectantur, conspiciat, dubium est, Deum summa sapiētia mundum hunc fabricaße, et sum-

ma prouidentia eundem moderari, & regere. Quòd ſiquis adhuc de his hæſitaret, Deum tamen non ſolum omnium rerum opificem, ac dominum, ſed & quæ hic geruntur, eius geri iudicio, ac numine, & qualis quiſq; ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate religionē colat, intueri, piorumq; & impiorum habere rationem, fateri velit, nolit, cogetur, ſi conſiderauerit totius eccleſiæ ſtatus non dicam denſas ſyluas, & aſpera nemora, non publicas vias, non oppidula, & villas, ſed terras, ſed munitas vrbes, ſed omnia denique latronibus, ſicariis, & crudeliſsimis carnificibus plena extitiſſe, & nullum ſcelerum, aut crudelitatis genus fuiſſe, quod audaciſsime, quaſi id per leges liceret, non admitterent: Cogitauerit deinde quæ in eccleſiam Dei ediderint duæ illæ totius Galliæ deteſtabiles peſtes, exitioſæ furiæ, ac monſtra horrenda (Henricum, dico, olim Nauarræ

Regem

Regem, & alterum Henricum quondam Principem (Condensem) qui omnes non solum Galliæ, sed exterarum etiam nationum Hæreticos aduersus Catholicos concitarunt, Religiosis viris sæuas mortes, Catholicis vrbibus euersiones, sacris ædibus vastitates intulerunt, Catholicæq; ecclesiæ ritibus sublatis, ac concionatoribus hæreticis constitutis, omnia, quæ ad destructionem sanctæ fidei excogitari potuerũt, opere perfecerunt: Postremo considerauerit, quòd dum hi diuturniorem, ac sempiternam (vt ita loquar) peccandi licentiam sibi promittebant, ecce Gregorius Pont. Max. supremum vitæ diem agit (erat quippe mortalis) & ex summo Patrum collegio te vnum (Beatißime pater) deligit deus, qui in his funestis, ac calamitosis temporibus ecclesiam suam regeres, vixq; in summo Petri solio consedisti, quòd vniuersò ecclesiastico statui tanta pax, tantaq; tranquillitas (omnibus, qui scele-

ribus pascebantur, ac fraternis cædibus viuebant, è medio sublatis, seditiosisq́ omnibus perterritis, ac solo nomine SIXTI audito fugatis) subitò præter spem omnium, non tamen præter optatum, orta est, vt illud iure optimo de Beatitudine tua scribere liceat, quod de Salomone legimus. Habitabat Iuda, & Israel absque
3. Reg. 4. *timore vllo vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua à Dan vsq; Bethsabee cunctis diebus Salomonis. Sed & ipsos Principes, eorumq́ fautores damnasti, Regnoq́, ac principatu perpetuò priuasti: Certissimum argumentum, quod Deus, dum isti, illiq́ humana, sacraque violabant, omnia, quæ gerebant, cerneret, vt impijs eorum operibus pœnas aliquando retribueret, cuius retributionis te, quod nihil timentem, ac inuictum cognouerit, ministro vti voluit. Sed quorsum hæc? Cum psalmum decimum octauum duplici explanatione illustrare conatus fuerim, qua*

rum

rum altera de diuina prouidentia, altera vero de sanctissima Natiuitate Domini nostri Iesu Christi, ac lege ab eo promulganda agit, vtranque Sanctitati tuæ, vti illustri, ac firmissimo diuinæ prouidentiæ testimonio, & illius, cuius natiuitatem, legemq; tractamus, Vicario, ad quemue vnum de lege eius iudicare spectat, dicare constitui; non equidem, quòd illas humiles non agnoscam, ac deinceps Pontificia celsitudine, & in primis SIXTO QUINTO Theologo præcellentissimo, ac rebus profundis assueto indignas, sed fultus exemplo pauperculæ illius Viduæ Marci, & Lucæ, quā mittentem in Gazophylacio æra duo minuta tantùm Christus dominus plus omnibus, qui multa miserant, misisse iudicauit, eas tibi consecrare non erubui. Demum, quia in Hæreticorum sermonem, & tempora incidimus, duos alios psalmos, Decimum scilicet, & Vndecimum, de eorum dete-

Marc. 12.
Luc. 21.

ſtabili natura tractantes interpretatus sū vt ex ea cunctis pateat, de ijs ſupplicium quàm iuſtiſsime ſumatur, magnamq́ue gloriam in præſenti; & præmium æternum in futuro virtutem tuam eſſe ſecuturum, ſi hoc execrandum genus hominum, qui omni ſcelere clam, palamque Chriſti veſtem lacerant, extinxeris. Licet autem hic de pſalmo decimo octauo priuſquàm de his duobus mentionem fecerim, in explanatione tamen eos ex ordine pſalterij collocabo. Sanctitatem igitur tuam, vt eas benigne ſuſcipiat, & ex maximis totius Reipublicæ Chriſtianæ, quas ſuſtinet, curis ſurripiat aliquid ſpatij ad eas legendas, meiq́ue memor ſit, ſupplex rogo. Vale, diuq́ue fælix viue. Romæ idibus Ianuarij. 1586.

PSAL-

PSALMVS DECIMVS.

TITVLVS.



N *finem. Psalmus Dauid.* Duæ ad hunc psalmum explanationes adhibentur, altera est eorum, qui historiam sequuntur, & tunc dicemus, quòd per illud verbum. *in finem.* hortatur Propheta, ne iustitiam dei desperemus, quòd improbis, & peccatoribus omnia secunda, Iustis vero, ac diligentibus deum omnia afflicta esse plerunque videātur, impijsque sæpe pios insequi, ac vexare posse permittatur; sed, vt finem attendamus: veniet enim aliquando hora illa, in qua de vniuscuiusq; actis cognoscet Dominus, & vnicuique reddet secūdum opera sua: Altera est eorum, qui de hæreticis catholicos in eorum prauitatem traducere conantibus psalmum hunc interpretātur, hancque nos in præsentia tenebimus, & illud verbum. *in finem.* eo spectabit, vt catholicos hortetur Dauid à prauis hæreticorum doctrinis abhorrere, & in catholica veritate vsque in finem constanter perseuerare

ſeuerare, quia, qui vſque in finem perſeuerauerit, hic ſaluus erit.

PSALMVS.

IN Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, tranſmigra in montem ſicut Paßer? Principiò duo proponam ad faciliorem dicendorum intelligentiam. Alterum eſt, vt memoriam teneamus illius Montis alti, magni, & ſublimis, de quo
Eſa. 2. Eſaias, & Michæas. Erit in nouiſſimo die-
Mich. 4. rum Mons Domus domini præparatus in vertice montium, & ſublimis erit ſuper colles, & fluent ad eum populi, & ibunt gentes multæ, & dicent. Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad Domum
Dan. 2. dei Iacob. quem etiam præuidens Daniel dixit. Lapis, qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram. quem montem eſſe Chriſtum omnes ferè teſtantur. Alterum eſt, tantam eſſe hæreticorum ſuperbiam, vt non erubeſcant gloriari, & impudenter iactare inter illos eſſe montem hunc, ſoliſq; ipſis ad illum patere aſcenſum, veramque

ſcri-

ſcripturarum habere intelligentiam, qua inſolentius freti in hoc eorum monte Eccleſiam alteram, & alterum Altare conſtituunt, more ſimiarum (vt eleganter dicit Cyprianus) quæ cum homines non ſint, homines tamen imitantur, ita & hi, cum in eccleſia nõ ſint, Eccleſiæ tamen authoritatem, ac veritatem ſibi vendicare conãtur, ad huncque montem catholicos omnes ſecum trahere tentant nõ vi, non præcibus, non fraudibus parcentes. His poſitis, dicemus, Qùòd eſt Eccleſia, quæ hæreticis hunc eorum fictitium montem profitentibus, ad illumque eam vocantibus reſpondet, & inquit. *in domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, tranſmigra in montem ſicut paßer?* An neſcitis, quòd qui confidunt in illo, intelligunt veritatem? quomodo igitur dicitis animæ meæ, traſmigra in montem, ſicut paſſer? quomodo mihi perſuadere conamini, Chriſtum in vobis eſſe, me autem errorum laqueis irretitam teneri? quomodo loquacitate veſtra tentatis me ſuper verum montem cõſtitutam ab errorum laqueis ereptam ad montem veſtrum tranſire? Ego, quæ totam fidem meam in domino fundatam habeo, & decipi non

Cypri. ad Iuba de Hæreti. bapt.

Sap. 3 1.

Matth. 5.

poſſum

poſſum, agnoſco me ipſam, & agnoſco perfidiam veſtram; Non ignoro, apud quē noſtrum Chriſtus ſit; ſcio, à quo fundata, ſuper quo extructa, à quibus ſtabilita ſim; ſcio, quia fundamentum aliud nemo po-
1. Cor. 3. teſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus, ſuper hoc autem fundamento me conſtitutam, certò ſcio, quia murum illum altum, & magnum, quæ eſt fides vna, qua deus ſepſit ciuitatem ſuam ſanctam Hieruſalem, me ſcilicet Eccleſiam ſuam, quamue vos in plures ſectas ſecatis, ego in vnitate firmiſſime teneo, profiteor, & voueo: Quia huius muri fundamenta duodecim, qui ſunt duodecim Apoſtoli, quorum traditiones, & ſacra vos negatis, ego veneror, & obſeruo: Quia ſcio, cui dictum fuerit à Domino Saluatore: Tu es Petrus, & ſuper hanc petrā ædificabo Eccleſiam meam: Quòd autem ſuper hanc petram ego conſtructa fuerim, teſtimonium perhibent omnes Petri ſucceſſores (quorum in me fuit ſemper ab ipſa ſede Petri legitima, & continuata ſucceſſio) qui hucùſq; me ſanctiſſime, ac pijſſime moderati ſunt, & moderantur: At vos, qui hunc ſanctum montem, & ſan-
ctam

ctam illius ciuitatem vobis vendicare non erubescitis, quam montis vestri, quam Ciuitatis vestræ originem redditis? Scio, quã regat spiritus sanctus, & omnem doceat veritatẽ; Scio, quã figurauerit Moyses, vaticinati fuerint Prophetæ, dilatauerint Apostoli, auxerint Martyres, testati fuerint Confessores, infinita sanctorum confirmauerint miracula; Scio, de qua oẽs Patres longe, lateque dispersi, varijs locis disiuncti, varijs temporibus florentes scripserint, & adeo admirabili, constanti, & perpetuo consensu, vt eodem loco constitisse, ijsdem temporibus fuisse, simul omnia, quæ monumentis tradiderunt, cõtulisse omnino videantur, vt ex perenni, & inexhausto illo fonte Spiritus Sancti omnia eorum scripta profluisse, emanasseque cogatur vnusquisque cõfiteri; Scio, multas aduersarios meos, qui estis vos, adinuenisse doctrinas, quas etiam aliquãdo finem habuisse, scio, me vero ab origine mundi semper eandem fuisse, nõ ignoro; Scio, me nunquam hæreticorum sectis, aut doctrinis testimoniũ perhibuisse, immo eas semper odisse, semper damnasse, æterni anathematis gladio percussisse, ab hære-

hæresibus autem conuersos me prædicasse, me aduersus priorem doctrinam eorum extulisse, tutam esse, & scriptis suis celebrasse: An non meministis, vos à Domino meo Christo Iesu loquente semel recessisse, & abijsse retro? me vero interrogatam,
Io. 6. num & ego abire vellem, in Petro respondisse: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius dei: Quẽ ergo semel viua fide cognoui, & vobis recedẽtibus secuta sum, nunc derelinquã? quomodo igitur dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer? Sed quæri poterit, quare ex omnibus auibus vnus à propheta deligatur passer, cuius imitationem catholicis proponant Hæretici vocantes eos ad impurissimum montẽ ipsorum? Respondeo, quia conditiones passeris hæreticorum naturam aptissime
Ex 23. Alber. mag. lib de animali. explicant. Passer enim (si Alberto magno credimus) est auis mobilis, callida, sicca, multi coitus, ac generationis, cuius caro ad libidinem incendit, hordeum libẽtius, quàm alium, comedens cibum, & si aliquando gulositate victa paleam cum granò sumit, strangulatur, emittit etiam vocem

cem

cem imperfectam, discordem, ac fastidiosam nimis: Hæretici autem quam sint mobiles, testantur Iudas, & Cyprianus. vocantes eos nubes sine aqua, quæ à ventis circunferũtur, & inanes paleas, quæ tempestate iactantur. Quòd sint callidi, firmissimũ argumentum est animus, quem igne libidinis, superbiæ, inuidiæ, audaciæ, ac propriæ tandem concupiscentiæ plenum gerunt: Sicci sunt, quippe qui derelinquentes fontem aquæ viuæ, effodiunt sibi cisternas, quæ continere non valent aquas, vitæ scilicet, salutis, & gratiæ: De profunda eorum libidine interrogemus Apostolos, qui respondebunt, eos esse voluptatum amatores, post carnem in cõcupiscentia immunditiæ ambulantes, & dei nostri gratiam in luxuriam transferentes: Quantæ autem sint generationis, heu proh dolor, certum nimis testimonium dicunt Germania, Alemania, Flandria, Anglia, & tot aliæ nationes, quas iamdudum oppressit, ac penitus ferè depopulata est hæc exitiosa pestis: Quod alios ad libidinem incendant, verba illa Petri innuunt. Pelliciunt in desiderijs carnis luxuriæ eos, qui paullulum effugiunt: hordeum quoq; quàm

Iud. 1. Cypria. in lib. de vni. eccle. catho.

Hier. 2.

2. pet. 2. 2. Tim. 3.

1. pet. 2.

quàm lubentiſſime comedunt (hordeum vero ſacram ſcripturã interpretamur Ruperti authoritate innixi, & eius paleam dicimus literam, granum vero ipſius literæ ſpiritum) nam quos libros edunt, quos ſermones ſiue publice, ſiue priuatim habent, qui non noui, aut veteris teſtamenti ſententijs fucati, aut colorati ſint? nihil pene vnquam certe de ſuo proferũt, quod non etiam ſacræ ſcripturæ verbis adumbrare conentur: Vnde perpulchre eos confert Baſilius ijs, qui in ære alieno ſunt. dicens, eos veluti æris alieni debitores probationes ex ſcriptura implorare; ſed cum non in intelligendo, non in ſenſu, non in medulla, & ſpiritu, in quibus tota conſiſtit ſacra ſcriptura, vt recte inquit Hieronymus, ſed in litera, in verbis, in ſuperficie inſiſtant, & ſententias, quas à ſacro Codice vſurpant, ex proprio ingenio, non ex maiorum ratione, authoritateque interpretentur, recte dicimus, quod cum grano hordei paleas comedunt, ac deinceps ſtrangulãtur & ipſi, quia euellendo terminos, quos ſancti, catholicique patres conſtituerunt, non recti diſcipuli, non veri Apoſtoli, non catholici operarij, ſed falſi, peruerſi,

Ruper. in Ioa. 6. explicans locum illũ. Eſt puer hic vnus, qui habet quinque pares ardeacos.

Baſili. in lib. de Spiri. Sancto cap. x.

Hier. aduer. lucifer.

peruersi, subdolique dignoscuntur, & ab omnibus deuitantur, atque detestantur, & sic in impietate sua soli moriuntur: Quã vero sint imperfecti, & non solum à catholica ecclesia, sed etiam à se ipsis inter se discrepantes, ac quanto auditores tædio afficiant, infra dicetur fusius.

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt, Iustus autem quid fecit? Sicut ob spem, fidemque viuam, quam sicut anchoram habeo in Deum tutam, & firmam, agnosco me ipsam, quia sancta sum, sacrosancto Christi Sanguine aspersa, & sanctificata, ita agnosco, quia omnes, qui extra, & contra me sunt *Peccatores* sunt, post carnem in cõcupiscentia immunditiæ ambulantes, sibi placentes, blasphemantes, sectas introducentes, voluptatum magis, 2. pet. 2.
quàm dei amatores, habẽtes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, iuxta proprias cõcupiscentias ambulantes, iustos, quantum in ipsis est, seducentes, peruersa loquentes, & in Apo- 2. Tim. 3. Matt. 24. Act. 20.


ſtolis Chriſti ſe transfigurantes. qui etiam
2.Cor. 2. *Intenderunt arcũ, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde.* qui, quæ
tu Deus *perfeciſti, deſtruxerunt.* Arcum hæreticorum, quem aduerſus catholicam Ecclèſiam intendunt, Cõtumaciam ſpiritus, pietatis, & religionis, qua ſe ipſos euangeliſtas arroganter profitẽtur; Superbiam ſingularis ſcientiæ, virtutis, & veræ ſcripturarum intelligentiæ, quam aduerſus eandem catholicam eccleſiam extollunt; Arrogantiam morum, ſanctitatis, & diſciplinæ, quorum omnium non rem, ſed ſolam gerũt imaginẽ, dicemus vnà cũ diuino illo Ruperti Abbatis ſpiritu; q verba illa Oſee.
Rup. Ab. in Oſc. cap. 1. in illa die conteram arcũ Iſrael. exponens ait. Arcum hunc Iſraelis contritum eſſe ſuperbam illam fiduciam Iudæorum, qua aduerſus Chriſtum dominum gloriabantur, dicentes. Pater noſter Abraam eſt: nos ex fornicatione non ſumus nati, Vnum Patrẽ habemus deum. Sagittas dicemus blaſphema verba, & impia dogmata, quæ prædicant, & introducunt: ſicut & alibi pro verbis ſagittæ interpretantur, cum dicitur. In luce ſagittarum tuarum ibunt, in
Abac. 3. ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ. Hoc eſt
illumina-

illuminati Apostoli prædicando emittent lucidá verba veritatis, quæ acumine suo corda populorum ad pœnitentiam cõpungent. Rursus. Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorum regis. Ps. 44.
Et est sensus. Verba prædicationis tuæ acuta vsque ad animam pertingentia, & vitia hominum interimentia, quibus transfixi populi in corda inimicorum Regis, hoc est, in cordibus suis, qui prius Regi Deo infesti erant, cadẽt sub te, te augustè, pièq; venerantes, sub ditione tua redacti. Pharetram mentem intelligemus, in qua concipitur verbum, in eaq́ue instar sagittæ in pharetra conseruatur, quousque articulata voce pronunciatur: Proferunt autem hæc praua dogmata, & quasi venenata tela iaciunt, cum catholicum aliquem ijs cõfigere conantur, vnde statim inquit. *vt sagittent in obscuro rectos corde*. in obscuro, quia operarij subdoli sunt, & deceptione illusores, pelliciuntq́ue in desiderijs carnis luxuriæ eos, qui paullulum effugiunt; Sagittãt, quùm seducunt, vel saltem seducere conantur, quia rectos corde seducere non possunt: Scriptum est enim. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si 2. cor. 2. 2. Tim. 3. 1. pet. 2.

 fuissent

fuiſſent ex nobis, permāſiſſent vtique no-
1. Ioa. 2. biſcum. Ita & per Apoſtolum teſtatur ſpi-
1. Cor. ij. ritus Sanctus, dum dicit. Oportet & hære-
ſes eſſe, vt probati manifeſti ſint in vobis.
Quoniam quæ perfeciſti, deſtruxerunt. hæc, quæ
perfecit Deus, eſt ſacra ſcriptura, quæ
ideo perfecta eſt, quia in illa non niſi iuſta,
ſancta, recta, & vera per ſpiritum Sanctum
nobis euangelizantur: hanc deſtruunt,
Cypr. in lib. de vnita. eccle. Catho. quia (ſicut D. inquit Cyprianus) corrup-
tores Euangelij, atque interpretes falſi ex-
trema ponunt, & ſuperiora prætereunt,
partis memores, & partem ſubdolè com-
primentes, vt ipſi ab Eccleſia ſciſſi ſunt, ita
capituli vnius ſententiam ſcindunt: vnde
& Petrus de hæreticis ſcribens dixit. Cha-
2. pet. 3. riſſimus frater noſter Paulus ſecundum da
tam tibi ſapientiam ſcripſit vobis, ſicut in
omnibus epiſtolis, loquens in eis de his,
in quibus ſunt quædā difficilia intellectu,
quæ indocti, & inſtabiles deprauant, ſicut
& cæteras ſcripturas ad ſuā ipſorū perditio
nem. Vel ideo dicitur, Perfecta. quia, quæ
de Chriſto futura erant, in veteri pagina
à Moyſe figurata, & à Prophetis prædicta,
in noua autem à Chriſto perfecta, ab Euā-
geliſtis deſcripta, & ab Apoſtolis vbique
procla-

proclamata fuerunt, & ita ſacra ſcriptura ſimul tota perfecta eſt, Hăc deſtruunt hæretici, quia horum alij reiecerunt Euangelia, alij Epiſtolas Pauli, alij vniuerſam Moyſis legem, & veteris teſtamenti ſcripturas. *Iuſtus autem quid fecit?* hæc dupliciter exponi poſſunt; primò, ſi ad Deum, qui ſolus natura iuſtus eſt, referantur; Vt dicamus, Si in tantos errores rapiuntur hæretici, & veritatis lumen reſpicere renuunt, Iuſtus, quid fecit? num errorum ſuorum culpa deo tribuenda eſt? Non equidem. Sacram enim ſcripturam iuſtam, & ſanctam perfecit, ipſi vero cæleſtium ſcripturæ verborum ſimplicitatem pro voluntatis ſuæ ſenſu, non pro veritatis ipſius intelligentia interpretati ſunt: Vel altero modo. Si ad Catholicum virum referătur, & præteritum tĕpus pro futuro ſumamus, quod genus loquendi eſt à Prophetis frequĕtatum, quando certam, & indubiam fidem his, quæ vaticinaturi ſunt, adhiberi volunt, non ſecus ac ſi iam fuerint, quæ futura ſunt. Et dicamus. Cum ſcripturam deprauauerit hæreticus, & (vt ait Cyprianus) aſſeruerit noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub oſtĕtu ſpei,



perfidiam ſub prætextu fidei, Antichriſtũ ſub vocabulo Chriſti, Iuſtus quid fecit? nunquid illum audiet? nunquid ad montem illorum tranſmigrabit? Immo illum fugiet, immo deuitabit, immo execrabitur. Vel tertiò, ſi rurſus hæc verba ad Deum referamus, & dicamus. Quòd his verbis quærat Propheta, quid aduerſus Iuſtos, & hæreticos facturus ſit Dominus: Cum enim dixerit, hæreticos ob ſuperbiã, malitiamque eorum non ſolum ſe ipſos in errores inducere, & in profundum abyſſi præcipites agere, ſed & adeo corrupti animi, & malitioſæ mentis eſſe, vt cæterorum omnium (ſi poſſent) mentes erroribus ſuis imbuere vellent, Iuſtos autem non poſſe eorum errores, ne auribus quidem, accipere, ſed in catholica fide conſtantiſſime perſeuerare, nunc quaſi de Iudicio, & prouidentia Dei percunctando ſubiungit. Iuſtus autem quid faciet? nunquid hæreticorum prauitatem impunitam, inultamque relinquet? aut iuſtis gratiam nullam referet? propoſitæ quæſtioni continuò reſpondet.

Dominus in templo ſancto ſuo, Domi-

nus

nus in cælo ſedes eius. Dominus in templo, vt oppreſſorum vota exaudiat, preceſque ſuſcipiat, quò aduerſus tantã vim hæreticorum eccleſiæ auxilium ferat; & poſuit in cælo ſedem ſuam, vt ex eo, quaſi ex alta ſpecula omnia catholicorũ, & hæreticorum geſta intueatur, & exactam eorum rationem habeat. aliàs diximus, quomodo in templo nomini ſuo dicato domicilium habere, & quare in cælo dicatur eſſe Dominus.

Oculi eius in pauperem reſpiciũt, palpebræ eius interrogant filios hominum.

Dominus interrogat iuſtum, & impium, qui autem diligit iniquitatẽ, odit animam ſuam. Aliàs etiam diximus, Deum ab omni concretione mortali penitus ſegregatum eſſe, & ſiquæ interdũ corporis partes ei tribuuntur, hoc non accidit, quòd ſummam eius ſimplicitatem ignoret ſcriptura, ſed vt miras eius actiones nos doceat, hincq; ſanctum eius numen timeamus, & colamus: in hoc loco Deum oculis præditum inquit Propheta, vt inſtruat fideles, Deum omnia cernere, & quid vnuſquiſque in eum admittat, qua iuſtitia

legem, & mandata sua custodiat, qua diligentia viam iustificationum suarum exquirat, si à peccatis abhorreat, qua pietate religionem colat, vt vnicuique pro meritis retribuat, ideo inquit. *Dominus interrogat iustum, & impiũ.* vt ostendat Deum ideo omnia cernere, vt piorum, & impiorum habeat rationem. *Palpebræ eius interrogant filios hominum.* non solum (inquit Dauid) Dominus omnia scrutatur, & cernit, cum apertos, sed & cum clausos tenet oculos, palpebris enim tegũtur oculi, & sicut nos, cum clausos habemus oculos, nil videmus, ita & Deus, cum impij infinita scelera in eum, & in sanctos eius admittunt, nec de ijs supplicium statim sumit, videtur quasi palpebris oculos clausisse, & nihil horum, quæ agant, cernere; res tamen non ita se habet, sed cum videre non videtur, dissimulat, quæ videt, & dissimulando interrogat filios hominum: de quibus? de cunctis eorum operibus: Quare? vt ea scribat in libro suo, eorumque exactam teneat rationem: ad quem finem? vt vnicuique pro his, quæ gessit, digna rependat in tempore suo. *Qui autem diligit iniquitatem, odit animã suam.* Inter facere, & diligere iniquitatem

tantum

tantum intereſt, quòd omnis, qui diligit, facit iniquitatem, ſed non omnis, qui facit, diligit eã: Nemo.n. ex hominibus mundus à ſorde, & tamen non omnes diligimus iniquitatem; aliquod enim crimen quandoque admittimus aut ignorantia, aut ĩfirmitate, at, agnito peccato, ſi ſtatim reſipiſcimus, non diligimus: Sunt autem alij, quos adeo delectat peccatum, vt non ſolum in factis, & in eorum etiam commemoratione glorientur, & dulcedinẽ quandam in animo concipiẽtes illud prædicẽt, nec à nouo facinore vnquam deſiſtant, ſed & ſemper viuere vellent, vt ſemper peccare poſſent, hi diligunt iniquitatẽ, & odio habent animam ſuam: Quo odio? illo certe, quo in profundum demerguntur; eſt enim odium, quod vtile eſt, & bonum; & eſt odium, quòd deteſtabile eſt, & peſtiferum: Odium bonum expedire ad ſalutem docuit ipſa veritas, cum dixit. Qui odit animam ſuam in hoc mũdo, in vitam æternam cuſtodit eam: quomodo autem hoc odio ſimus in animam noſtram, ex lectione ſuperioris pſalmi addiſcimus, quùm quaſi ante oculos nobis proponit Dauid ſanctos Dei amicos fallaces diuitias, inanem

Ioa. 12.

nem gloriam,& blandas huius mundi illecebras,quæ animam oblectant, odiſſe, & non ſolum maledicta, irriſiones, probra quæcunque patienter perpeſſos eſſe,ſed & mortem libenter ſubijſſe, vt Chriſtum lucri facerent: hi odiunt in hoc mundo animam ſuam,quæ naturaliter illecebris irretitur, delicias appetit, & commoda diligit, quibus qui ſeruiunt in hoc mundo, nec carnis affectibus reluctantur, animam ſuam odiunt in ſeculo futuro,in quo à concilio ſanctorum ſecluſa deijcitur in tenebras exteriores,quùm ſtatutum ei ſit poſſe non per delicias,& commoda,ſed per multas tribulationes ad cæleſtẽ gloriam peruenire: ſed cũ diligere ſit affectio animæ, affectiones autem animæ ſine corpore eſſe non poſſint, quare his verbis; Qui diligit iniquitatem: potius annectit Dauid, odit animam ſuam, quàm odit corpus ſuum, aut vtrunque ſimul annexum? Huic quæſtioni reſpondeo, non inconſultò, ſed ex induſtria prophetam ita locutũ eſſe, quia de duobus, anima ſcilicet,& corpore, quæ lædit, & perimit peccatum, prior anima, poſterius perimitur corpus, immo propter peccatum animæ corruptioni datum eſt

corpus

corpus; Anima ſiquidem corrupta in culpam, fecit vt corpus corrumperetur in pœnam; nec iſtam calamitatem ſuam, quod prior lædatur peccato, iuſte conqueri poteſt anima, cum ipſa ſit, quæ ſentit, quæ mouet, & viuit, corpus autem inſenſibile ſit, & ipſi, non corpori datum ſit arbitriũ, & iudicium, & ſcientia, & potentia, per quæ poſſit improbare malum, & eligere bonum; Corpore autem ſic vtitur anima, ſicut faber malleo, vel incude, in qua format quicquid mente concepit; ipſa enim eſt dictatrix peccati, & inuentrix malitiæ, ipſa cogitatus format, & diſponit agenda, corpus autem eſt officina animæ, quæ in illo, & per illud quæcunque affectauerit, peragit, & conſumat: quod autem corpus inſenſibile ſit, anima recedente, dignoſcitur.

Bernar. de aduen. domi. ſermo. vi. Cypri. in præfa. oper. de Cardi. operi. Christi. prope fi.

Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis, & Sulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum. In hoc verſiculo duo oſtẽdit Dauid. Primum, in quanta, & quàm crebra peccata prolabatur homo, qui diuinum timorem abiecerit, & toto ſe animo iniquitati dediderit. Alterum, quas,

quan-

quanta sue pendat pœnas diuinæ Iustitiæ. Primũ illud præsefert verbum hoc. *Pluet*. quo vtitur Propheta, & idem est, ac si diceret. Sicut dẽsissimæ sunt imbrium guttæ, quæ effluunt è cælo, ita instar pluuiæ pluet dominus super peccatores laqueos, scilicet Diaboli, quæ sunt peccata, de quibus scribit Apostolus. Resipiscant à Diabo-
2.Tim.2. li laqueis. Sed quomodo pluet dominus super peccatores laqueos? nunquid à domino peccatum?nunquid ipse in causa est, vt quis sit impius, & peccator? absit. Sed pluit super peccatores laqueos peccatorũ, cum non prohibet, sed deserit, & dimittit impios in desideria cordis eorum, propter quam dei desertionem contingit illis, vt diuina gratia destituti in dies, immo in horas in maiora semper peccata prolabãtur, à quibus quasi laqueis capti, & irretiti nunquam resipiscunt; quod alibi describens
Ps. 88. propheta per os dei dixit. Dimisi eos secundum desideria cordis eorum: & quis huius dimisionis euentus? ibunt in adinuentionibus suis. Hoc idẽ confirmat Apo
Rom. 1. stolus, qui cum dixisset. Quia, cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanue-

runt

runt in cogitationibus ſuis. ſubito ſubiungit. Propter quod tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, & in deſideria cordis eorum, in immunditiam, & paſſiones ignominiæ, vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis. ex eo enim, quòd Deum non glorificauerunt, aut pro beneficijs acceptis gratias egerunt, tradidit illos (deſerendo) in reprobum ſenſum, & (ſubtrahendo diuinum auxilium, quod ob peccata ſua demeriti erant,) in deſideria cordis eorum, in immũditiam, in libidines ignominioſas abire permiſit. Hæc autem deſideria immunda, has ignominiæ paſſiones, hæc peccata, in quæ præceps ruit peccator diuina gratia deſtitutus, tam crebra eſſe docet Propheta, quàm crebræ ſunt imbriũ guttæ, quùm inquit. *Pluet ſuper peccatores laqueos.* ex ſubſequẽtib⁹ minatur, quas pro peccatis ſuis pœnas domino luat peccator, cũ dicit *Ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.* ignis perpetuo cõburens; Sulphur, fœtor intolerabilis; ſpitus procellarum, fletus, & ſtridor dentium: Inter quæ mala nullus ordo, & ſempiternus horror: Eſt ſumpta metaphora à mari, quùm à ventis vehementiſſimis, ma

gniſque

gniſque tempeſtatibus commouetur, in quo huc,& illuc fluitant naues ſine ordine, & ſummo terrore concuſſæ: *Pars calicis corũ* ideſt pars iniquitatum, & ignominioſarũ paſſionũ ſuarum: Calix enim in ſacro codice multas habet ſignificationes,& ita in malã, ſicut & in bonam ſumitur partem: hoc loci idem valet,quòd iniquitas,error, iniuſtitia, & reliquæ hæreticorum paſſiones. Et vult dicere. Ignis, & Sulphur, & ſpiritus procellarum eſt hæreditas impiorum, & ex his vnuſquiſque eorum accipiet hæreditariam partẽ pro impietatibus, quas operatus fuerit; ſic è conuerſo dicitur Deus hæreditas iuſtorum,qui, quoniã in eo habebunt omnes partem ſuam pro afflictionibus, & aduerſis,quæ pro conſeruanda pietate, & iuſtitia perpeſſi fuerunt,
Pſ. 15. dicunt. Dominus pars hæreditatis meæ,& calicis mei. Sed dicet aliquis; quare calicis appellatione hæc ſignificantur? quid cum ipſo commune habent? Reſpondeo. Calice ſitim depellimus. Hæretici autem ſitierunt impietates, luxurias, errores, proprias concupiſcentias, fratrum corruptiones,& hoc genus reliqua: & quia hæc inſtar calicis biberunt, lætalemque deſide

riorum

riorum suorum sitim expleuerũt; quomodo? dum ea omnia opere perfecerunt; ideo calix dicuntur hæc eorum iniquitates, & desideria; sicut & mors Domini nostri Iesu Christi dicitur calix, quòd pro salute nostra eam maxime sitiuerit: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Vel illum versiculum. *Dominus in templo sancto suo, Dominus in Cęlo sedes eius*. iungamus cum subsequenti versiculo. *Pluet super peccatores laqueos, ignis, & Sulphur & spiritus procellarum, pars calicis eorum*. & dicamus, quòd, cum ostenderit nobis Dauid Deũ diligenter prospicere, quid catholicus, quid hæreticus agat, eorumque talem habere rationem, qualẽ decet diuinam maiestatem, vt propositum iustis præmium tribuat, & meritis supplicijs hæreticos afficiat, in his duobus versiculis (vt dictis suis indubiam fidem adhibeamus, & denunciatione vtriusque hæreticos deterreat ab erroribus suis, & iustos in fide, & virtutibus confirmet) probat & illorum præmium, & supplicia istorum inchoari in hac vita, & perfici in futura: Alterum probat, dum inquit. *Dominus in templo sancto suo (& pertinet ad præmium iustorum) Dominus in cælo sedes eius*. Alterum, quod attinet

Math. 20.

tinet ad ſupplicium hæreticorum, probat dum ait. *Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarũ, pars calicis eorum.* ad quorum intelligentiam ſciamus, neceſſe eſt, quòd præmium fidei, & labori iuſtorum à domino promiſſum eſt ipſius dei viſio, fruitioque; ſupplicium vero hæreticis paratum eſt ſocietas dæmoniorum, æternaque pœna, & damnatio: Vtrunque inchoari in hac vita, & perfici in futura probat Dauid, dum inquit. Dominus in templo ſancto ſuo. Addita Apoſtoli ſententia. Neſcitis, quia templum dei eſtis, & ſpiritus dei habitat in vobis? Siquis aũt templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus, templum enim ſanctum eſt, quod eſtis vos. Quòd ſi eſt hic in nobis Deus, dũ ſumus in hoc tabernaculo corruptibili, & infirmo, quanto magis, quando erimus cæleſtes, hoc eſt, cum corpus hoc corruptibile, ignobile, infirmum, & animale ſurget in incorruptione, in gloria, in virtute, & ſpirituale? vnde ſubijcit. Dominus in cælo ſedes eius. Quia tunc medius electorum ſuorum reſidebit, omnes viſione ſua beatos reddens, & è medio eorum nũquam in poſterum receſſurus. Alterum,

1. Cor. 3.

quod

quod est hæreticorum supplicium, in hac vita æque ac præmium iustorum inchoari, & in futura consumari optimè testatur. cum inquit. Pluet super peccatores laqueos, ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum. Cum varios hæresum errores sugere incipiunt peccatores, & licet certioribus argumentis sæpius coarguantur, & conuincantur, errores tamen suos deponere nolunt, tunc ab eis aufert dominus lumen gratiæ intellectum illustrantis, & in summam veritatis ignorantiam prolabuntur; & quid deinde? dum sacram scripturam legunt, eam non intelligunt ob peccatum tenebris ignorantiæ circumfusi; & quæ iustis à deo data est ad salutem, hæreticis velatur ad interitũ, sicut scriptum est. Qui quærit legem, replebitur ab ea, & qui seditiosè agit, scandalizabitur ab ea. Quia deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat his illuminatio euãgelij gloriæ Christi, qui est imago dei. Hinc quia princeps mundi huius infidelium mentes excæcat ex permissione diuina, dicitur deus Pluere super peccatores laqueos ignorantiæ, quibus irretiti videntes non videant, audien-

Eccles. 32.

2. Cor. 4.

tes non intelligant, ac legentes nō cognoſcant; his autem erroribus imbuti pœnis adiudicantur æternis, & hic eſt calix, quo inebriabuntur hæretici, cuius partem bibent in hac vita, alteram partem bibituri in futura; & ideo inquit. *Ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum* hoc eſt, hæc omnia ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum in præſenti ſunt pars calicis eorum, reliqua pars reſeruatur eis in futurū. Ignis, quo in præſenti vita conſumuntur hæretici, eſt ignis ſuperbæ cōcupiſcentiæ, & concupiſcentis ſuperbiæ; ex igne generatur ſulphur libidinis, & ignominioſarū paſſionum, quæ putent ſicut ſulphur: ex igne autem, & ſulphure labuntur in ſpiritus procellarum, in diſcrepantiam opinionum, in odia, in diſſidia, in diſcordias, ſeditiones, & bella: Dum enim vnuſquiſque primas agere, & alter altero vult videri ſapientior, nouas quotidie introducunt opiniones inter ſe adeo diſcrepantes, vt ex ſola eorum diſcrepantia errores ſuos agnoſcerent, ſi vellent, ſed quoniam ſumma eſt eorum malitia, tradidit eos deus in reprobū ſenſum, hinc vnuſquiſque in ſententia ſua perſtat obſtinatior, & dum eam

præ-

præfractè defendere conatur, vides (ſicut de his nonnulli fidedigni retulerunt) in eadem domo maritum ab vxore, patrem à filijs, filios à matre, fratrem à fratre, ſororem à ſorore, hanc à fratre, dominum à ſeruo, ſeruum ab ancillis diſſidere voluntate, armis dimicare; qui maior ſpiritus procellarum? non ne hæc confuſio, & tanta diſcordia formam habet, & ſpeciem ipſam inferni? Vides quàm rectè dixerit Dauid. Ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum? & quando reliqua parte inebriabuntur? cum implacabili voluntati, & inexplebili Dæmonum furori tradentur, igne ſemper ardente, miſeros non conſumente, nunquàm deficiente, ſemper cruciante, comburendi, vbi fœtor loci, & corporum fœda libidine putentium intolerabilis, ingentes flammarum ſtrepitus, horribiles increpãtium dæmonum voces, ſtridor dentium, fletus inconſolabilis, conſcientia infructuoſè redarguens, ſontes præ confuſione peccatorum intra ſe confligantes, pro ſolo dæmonum aſpectu tumultuãtes, præ nimio pœnarum dolore, heu, heu, perpetuò clamantes, miſericordiam inane, & infru-

ctuosè vociferantes, æterno ploratu eiulantes, ſcelera ſibi ad inuicem exprobrantes, pectus præ vermibus excedentibus ſibi tondentes; Deum poteſtatẽ ſuper has plagas habentem blaſphemantes: Heu quanta confuſio; heu qualis diſcordum vocum ſonus; heu qualis procellarum ſpiritus; hæc eſt altera calicis pars, quæ hæreticis in inferno reſeruatur. Vel ignem hunc dicamus ignem materialem, & præſentẽ, quo à catholicis Principibus comburuntur hæretici, & eſt principium, & pars illius æterni ignis, cui adiudicandi ſunt. ſulphurem vero malorum operum fœtorem,
2. Cor. ij. nam & de iuſtis dicitur, quia Chriſti bonus odor ſumus. & ſpiritum procellarum ſectas diuerſarum opinionum, quæ omnia morientes relinquunt hæretici; & vnum obſeruabimus, quòd hæretici mortis ſupplicio affici poſſunt, & eſt notatu digniſſimum aduerſus Eraſmum, & cæteros hæ-
Matt. 13. reticos, qui illud Matthæi. Vis, eamus, & colligamus zizania? & ait, Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul & triticum. Malè, & propria interpretatione exponentes, & impiè viuere impunè volẽtes tradunt hæreticos mortis ſupplicio afficiendos

ficiendos non esse; cum ex hoc loco non solum mortis suppliciū de ipsis sumi posse, quinimmo & peccato eorum congruens supplicium esse ignem addiscamus: cuius sentētiæ adstipulatrix est pœna illa, quam à filijs Aaron, dum ignem alienum domino obtulerunt, deum petijsse legimus: Egressus enim ignis à domino (inquit scriptura) deuorauit eos,& mortui sunt. Quos enim nobis significant hi filij Aaron ignē alienum offerentes, nisi hæreticos, (teste Cypriano) qui dei traditione contempta, alias doctrinas appetunt,& magisteria humanæ institutionis inducunt? Adhuc etiā ignis hæreticorum esse proprium supplicium ostenditur ex illa vltione, quā sumpsit deus de Chore, Dathan,& cæteris ducentis quinquaginta proceribus principū suorum errorem sequentibus, & sacerdotium sibi aduersus Aaron vendicantibus, Terra enim cum repētino hiatu desedisset, tres illi principes viui descenderunt in infernum, cæteros vero omnes ignis de cælo lapsus celeri vindicta consumpsit. Qui sunt autem hi, qui alterum sacerdotium sibi vsurpare audent? hæretici profecto, qui altare contra altare constituunt, &

Leuit. x.

Cypr. in lib. de vnita. eccle. Catho.

Num. 16.

nouum ſacerdotium aduerſus eccleſiam, & ſummum Pontificem à Chriſto domino noſtro inſtitutum, & Eccleſiæ ſuæ præpoſitum ſibi confingant: Non igitur ſibi blandiantur hæretici, quod morti tradi nō debeant, ſed aut reſipiſcant, aut dignum meritis ſuis ſupplicium perſoluant. Argumentum autem Eraſmi ſilentio prætereundum non ducimus, ne illud refelli non poſſe forte arbitrarentur hæretici. Et primo loco, quid alij dixerint, præmittam, deinde, quæ ego ſentiam, ſubijciam. Nonnulli igitur interpretes reſpondent, quòd ille locus euangelicus nō de hæreticis ſpeciatim, ſed de omnibus malis generatim intelligitur, cum Chriſtus illud verbum. Zizania. Filios nequam, quorum vocabulo omnes mali complectūtur, interpretatus fuerit. Hoc reſponſum tenue ſatis, & exiguum videtur. Nam dum hæreticorum Charybdim hi cupiunt euitare, incidunt in Scyllam homicidarum, adulterorum, latronum, & cæterorum hoc genus hominum, qui ſibi ipſis conſulentes ſtatim inſurgent, dicentes, Si filij nequam mortis ſupplicio afficiendi non ſunt, ergo leges omnes tam canonicæ, quàm ciuiles

iniuſtæ

iniuſtæ ſunt, quæ in nos aduerſus ſententiam Chriſti animaduertunt. Et ecce omnia Iura ſublata. Alij, Zizania, hæreticos, & collectionem mortem exponentes reſpondent, quòd Chriſtus dominus non ſimpliciter de hæreticis ſupplicium ſumere vetat, ſed tunc, cum hæreticus tot, tantoſque iniquitatis ſuæ defēſores haberet, vt ſchiſma, vel ſedicio commoueri poſſet: Tunc enim, ne catholici ſimul cum hæreticis perirent, hæretici ſuſtineri debent. Hæc reſponſio in ſe vera eſſe poteſt, ſed verbis textus non congruit. Si enim Chriſtus dominus hoc intelligere voluiſſet, nō ad ſeruos ſuos verba ſua direxiſſet, dicens. Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis, & triticum. Nam Eccleſia, & quilibet diſcretus Iudex nunquam cum hæreticis propter conflatam ſeditionem, vel ſchiſma catholicos necaret; ſed paſſiuo verbo potius vſus eſſet, dicendo. Ne forte eradicetur & triticum. Hoc eſt, ſinite ea creſcere, ne forte dum vos in hæreticos animaduerteretis, ſeditio fieret ab his, & eradicaretur triticum. Si cui tamen in hāc ſententiam ire placeret, credo reſponderi poſſe, quòd licet Iudex non de bonis, ſed

de hæreticis ſolis extremum ſumeret ſupplicium, ſi qua tamen propter mortem iſtorum ſeditio fieret, & vita priuarentur Catholici, ipſe mortis eorum haud innocens eſſet: Quòd ſcilicet culpa ſua illud contigiſſet, iuxta ſententiam Hieronymi. Neceſſe eſt quidem, vt veniant ſcandala, væ tamen ei eſt homini, qui, quod neceſſe eſt, vt fiat, vitio ſuo facit, vt per ſe fiat.

Hier. in Matth. cap. 18.

Cum igitur culpa non vacarent, ſi catholici perirent, propterea ad ſeruos ſuos verba direxit. dicens. Ne fortè eradicetis & triticum. Tertij textum de occultis hæreticis interpretantur, quorum ſententiæ textus euangelici verba repugnant. Nam ſi ſunt occulti; quomodo legimus. Cum autem creuiſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania? Rurſus. Quomodo cognouerunt ea ſerui patris familias? vt accedentes dicerent domino, non ne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? vnde ergo habet zizania? quare alia ſolutio quærenda eſt, quæ dominicis verbis propior ſit, ac totam eorum ſententiam clarius enodet. In qua tradenda tertiam ſpeciem inter manifeſtos, & occultos hæreticos conſtituemus, vt hæreticorum alij

ſint

ſint occulti, qui praua ſentiunt, ſed propter metum iuſti ſupplicij errorem ſuum palàm non proferunt; Alij manifeſti, & notorij: Alij nec penitus occulti, nec penitus manifeſti, ſed apud eccleſiam dubij, & ſuſpicioni locum dantes: Exempli gratia. Sunt aliqui, quorum errores ſi inſpicimus, hæretici ſunt, ſin vero intentionē, nequaquam. Veluti ij; qui aut ab hæreticis parētibus orti, aut etiam adulti, ab hæreticis ſeducti, falſis, prauiſque opinionibus imbuti multa ſolicitudine veritatē quærunt, corrigi parati, cum inuenerint; hi (ſi Pelagio, Auguſtino, & Cypriano credimus) non ſunt inter hæreticos propriè computandi. Verùm quia euenire poſſet, vt aliquis hæreticus catholicos ſeducere cupiens ſub prætextu quærēdæ veritatis, ac ſeipſum corrigendi, peſtifera dogmata ſua inter catholicos ſereret, (& ecce zizania inter triticum ſata) inter ſerendum autem tot, tantaque bona operá facere poſſet, vt eccleſiæ animum ſuſpenſum teneret, hic vere ne hæreticus eſſet, & audax in falſitate ſeminanda, an vere ſolicitus de veritate quærenda: Addamus poſtremò, quod iſte veritatem inueniſſe, ſe cor-

Pelagi. in epis: quæ canoni. eſt 24. q. 1. c. ſchiſma. Aug. epi. 168. canoni. 24. q. 3. cap. dixit. Cypri. in epiſt. ad Anto. in pun.

ſe correxiſſe, ſana, & recta ſapere ſimulare poſſet, vt zizania inter triticum viueret, & illud aliquando corrumperet; dum igitur Eccleſia de ſententia, ac vita iſtius dubia eſt, de ipſo mortis pœnas ſumere non debet, ne fortè triticum eradicaret: Nam iſte, ſicut in errore adhuc perſeuerare poteſt, ita & poteſt reſipuiſſe, & tale triticum euaſiſſe, vt pro fide catholica vel ſanguinem effundere, & mortem ſubire non timeret; ſed vſque ad meſſem, hoc eſt, diuino iudicio, quod nec fallere, nec falli poteſt, dimitti debet caſtigandus, vel donec, quod eſt ſuſpicioſum, res ipſa perſpi cuum faciat: & quod in hac facti ſpecie loquatur Chriſtus dominus, manifeſtè oſtẽdit verbum illud. Fortè. quod dubiũ præ ſe fert, ac denotat; ſed dicet aliquis. Tu cum hac tua ſolutione in dubium vocare videris, ſint ne zizania, an non? ſed Chriſtus aſſerit eos zizania, dicens. Cum fructum feciſſet, apparuerũt & zizania. Rem ergo minime dubitandam in contentione ponis. Reſpondeo, quòd Chriſtus parabolam ſuam, ſeu verba ſua accomodauit ad intelligentiam, & iudicium eorũ, quos alloquebatur, hominum ſcilicet, quorum

non

non eſt corda ſcrutari, ſed de exterioribus, & ſecundum faciem iudicare. Si quis igitur aliquem ſic (vt ſupra) praua doctrina inſtitutum, ac praua loquentem audierit, ab his fructibus hæreticum potius, quàm catholicum arbitrabitur, quia fructus hæreſis eſt ſermo malæ opinionis, ſeu peruerſi dogmatis, iuxta doctrinam Hieronymi ad Galathas. & hanc ob cauſam dicit textus. Cum fructum feciſſet, apparuerunt & zizania. nec mirum, quia mixtum ſemper tribuitur ſimplici, in quo magis incaleſcit. & conſideremus, quòd Chriſtus de hac hominum ſpecie extremum duntaxat ſupplicium ſumere vetat; non vetat tamen quò minus ad eorum inſtitutum, & viuendi rationem ea adhibeatur diligentia, quam à ſacris canonibus traditam habemus. de hæreticis igitur dubijs Chiſtus dominus loquitur, non de manifeſtis, & notorijs, qui aut ad veritatem, & catholicam fidem redire compellēdi ſunt, aut extremo, & ignis quidem Iudicio tollendi ſunt, & Iure quidem optimo.

Canoni. 24. diſt 3. cap. inter hæreſim.

Quoniam iuſtus dominus, & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.

Reddis

Reddit causam, quare iustos præmio, & improbos supplicio afficiat Deus, & est. Quia iustus est in peccatis corrigendis, & in præstanda gratia, viceque reddenda his, qui optimè, & sanctè viuunt. *Et iustitias dilexit*. hoc potest referri & ad Christum, & ad nos. Si ad Christum, dicemus. dilexit iustitias, scilicet, reddere vnicuique secundum opera sua, quæ retributio ratione illius, à quo fit, est vna, sicut vnus est ille, qui retribuit: at ratione eorum, qui huius retributionis fructum metunt, sunt plures, sicut sunt plures metentes, & plura sunt eorum opera, quibus redditur. Sin autem ad homines. dicemus, dilexit Iustitias, idest, bona iustorum opera, quibus Christo reddunt, quod illi debēt. Quæ ideo dicuntur, Iustitiæ, potius, quàm iustitia: quoniam Iustitia est virtus, quæ tribuit vnicuique, quod suum est; multa vero sunt, quæ Christo debemus, quùm etiã multa sint, quæ ipse pro nobis fecit, & perpessus est; nos enim creauit, nos redemit, nos quotidie vocat ad gloriam suam. Debemus illi iustitiam pro creatione, iustitiam pro redemptione, iustitiam pro vocatione: Quæ sicut sunt plura in nos Chri-

sti

ſti beneficia, ita & plures ſunt iuſtitiæ, quas tot, tantiſque eius beneficijs tribuere debemus. Vtrunque Dauidis ſententiæ arridet, ſequitur enim. *æquitatem vidit vultus eius*. Deo tribuit vultum propheta, vt ſciamus, quia omnia videt, & cernit, & eſt, ac ſi diceret, ipſe vidit æquitatem in iudicando, aut æquitatem eorũ, qui agnoſcunt, quantum illi debeant, & retribuunt, quod debent. Non ignoramus enim duplicem eſſe vim æquitatis, cuius altera ad æquum, verum, & bonum, quod maxime dignoſcitur in iudicãdo; Altera ad viciſſitudinẽ referendæ gratiæ (quod noſtrum eſt proprium, nam quicquid nobis, & pro nobis fecit deus, gratis fecit, nullo intercedente merito noſtro) pertinet.



PSAL-

PSALMVS VNDECIMVS.

TITVLVS.



D victoriam ſuper octauam. canticum Dauid. Hunc pſalmum Domino ceciniſſe Dauid teſtãtur Verba illa. *Canticum Dauid*. Illud vero, quod inquit. *Ad victoriam ſuper octauam*. Ex hiſtoria ad allegoriam nos traducit. Octauam enim ſignificare vniuerſalis reſurrectionis diem, quæ erit principium illius æternæ gloriæ, quam iuſtis operibus noſtris per Chriſtum Ieſum reddendam ſperamus, vna eſt omnium Patrum ſententia. Quæ ideó fortaſſe dicitur octaua, vel quòd ſit extra horum ſeptem dierum numerum, quorum cõuerſione præſens tempus conficitur; nam totum hoc tempus ſeptem dierum ambitu perficitur, & ad idem ſe caput ſemper refert, nulla alia die extra hos ſeptem interpoſità: At cùm filius hominis ad iudicandum venerit in maieſtate ſua deficiet horum ſeptem dierum

rum conuersio, & incipiet dies æternitatis, nullo fine in posterum terminanda, quæ cum his septem diebus succedat, rectè dicitur octaua. vel fortasse dicitur octaua, quòd sit extra septem ætates, quibus mundus senio confectus finem est habiturus. Prima enim fuit sub Adam, secunda sub Noe, Tertia sub Abraham, Quarta sub Dauid, & cæteris Regibus, & Prophetis, Quinta in transmigratione Babylonis, sexta est sub Christo domino, septima absoluitur, perficiturque cum sexta, sed diuersa ratione: nam sexta est viuorum, septima vero sanctarum animarum, quæ deposito corporis onere, & singulis stolis albis ornatæ in cælo inuisibilem Deum per gratiam visibilem intuentur; Octauam interim ætatem expectantes, quæ quidem ætas octaua à generali resurrectione principium ducet, in qua animæ propria corpora iterum assumentes, peracto iudicio, extollentur in cælum binas stolas, immortalem scilicet corporis, & animæ gloriam accepturæ, beatamque, ac æternam vitam cũ Deo suo feliciter victuræ: Hæc octaua, quæ iam perfecta est in Christo, & in nobis perficiendam credimus, & speramus, Apoc. vj.

Anti-

Antiquis præmonstrata fuit, varijs licet signorum, & figurarum velis obtecta: Et primò Abrahæ præmõstrata fuit sub signo circumcisionis: quæ octauo die fieri iussa
Gen. 17. est. Vt significaretur, quòd sicut octauo die per circumcisionis sacramentum sanabatur vulnus originalis peccati, quod ob præuaricationem Adæ nobis impositum est, adhibebaturq́ue remedium ad sedandam carnis, & spiritus pugnam, quæ est in membris nostris, ita & cum in octaua à mortuis excitabimur gloriosi, & conformes imaginis filij Dei, tolletur à nobis (licet longe quàm in circumcisione perfectius) omne peccatum, fietq́ue carnis, & spiritus summa reconciliatio, & erit deinceps vnus eorum consensus. Secundò figurata fuit Moysi, & à Moyse Iudæis, cum præcepta fuit illis obseruãtia feriarum tabernaculorum. Dequibus ita Dominus
Leuit. 23. loquitur ad Moysen. A quinto decimo die mensis huius septimi erunt feriæ tabernaculorum septem diebus domino. Dies primus vocatur celeberrimus, atque sanctissimus, & offeretis holocaustum domino, est enim cœtus, atque collectæ: & paulò inferius; die primo, & die octauo erit sabbatum,

batum, ideſt requies. Quæ ſunt iſta tabernacula? niſi corpora noſtra, de quibus ait Apoſtolus; Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus. & Petrus. Iuſtum enim arbitror, quàm diu ſum in hoc tabernaculo, ſuſcitare vos. Quod autem eſt iſtud mandatum feriarum? præterquã mandatum, & gratiam regendi, moderandi, mortificandi (vt inquit Apoſtolus) membra noſtra, quæ ſunt ſuper terram, quod eſt omne cõcupiſcentiarum genus, & corruptelæ contagio. Quæ ſunt illa holocauſta, quæ ſeptem diebus aſſiduis offeruntur? niſi ſacrificia, quæ ob aſſiduã pugnam carnis, & ſpiritus, quæ animam noſtram multis contumelijs, ac ignominijs afficere plerunque ſolet, facere monemur, vt aſſiduis Diaboli tentationibus aſſiduis ſacrificijs reſiſtamus; quid per primum diem? niſi dies ille, in quo per baptiſmum conſepulti cum Chriſto,& veterem hominem exuentes, ac nouum, qui ſecundùm Deum creatus eſt, induentes renaſcimur innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac deo dilecti; Ideo celeberrimus. Quid per octauum diem, niſi reſurrectionis dies? in quo penitus extincto fomite, qui ſuper-

2.Cor. 5.

2. pet. 1.

Col. 3.

Rhm. 7.

D fuerat

fuerat ad agonem, initoque inter carnem, & ſpiritum fœdere perpetuo, in pace quietiſſima confirmati, reſurgemus, inſtar ſolis, fulgentes, æterni, felices, imaginis filij dei, & omnium eius bonorum participes; in quo laudis, & gratiarum actionis, & totius voluntatis noſtræ Dei voluntati cõformes ſacrificium æternum offeremus: Ideo & hic dies ſanctiſſimus, ac celeberrimus. Fuit quoque figurata in inſtrumento octo cordarum, in quo huiuſmodi pſalmos, qui pro octaua inſcribuntur, decantatos eſſe tradunt Hebræi, qui & horum neruorum primum, & octauũ eundem habuiſſe ſonum ferunt; vt ſub huius inſtrumenti figura ſignaretur primus regenerationis, & octauus reſurrectionis dies, in quibus nouitas vitæ nobis elargitur. Varij autem cæterorum neruorum concentus varios ſignant vitæ noſtræ miſeros, & felices caſus, qui, quoniam ſapienter ferendi ſunt ab his, qui velut carnis, mundi, & Diaboli victores poſt ſolemnem generalis iudicij triumphum coronari in gloria deſiderant, ideo in inſcriptione pſalmi appoſitum eſt verbũ illud. *Ad victoriam.* ſed hæc inſcriptio quid ad pſalmum? Valde

equidem:

æquidem: Nam licet ab hæreticis ita affligatur ecclesia, & ita ingrauescant persecutiones, & mala, vt ipsius interitus quasi adesse videatur, ac propterea clamet ad Deum. Saluum me fac Domine. Tanta tamen est spes mercedis laborum suorum, tanta fiducia futurorum bonorum (quæ in octaua singulis pro meritis eorum distribuentur) vt omnia hæc inuicto ferat animo, & ad victoriam aspirans nullis cruciatibus cedat. sed de his in fine psalmi.

PSALMVS.

Saluum me fac domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum.

Vana locutus est vnisquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde, & corde locuti sunt. Cum ecclesia in superiori psalmo de superbia, calliditate, contumacia, spurcissimaque, & obscœna hæreticorum vita nos certiores reddiderit, moresque eorum in exponendis, proferendisque scripturis ostenderit, nec non pœnas ijs imminentes denunciauerit, in præ-

 senti

ſenti pſalmo proſpiciens quantas in membris eius miſerias perpetiatur, quàm fame, ſiti, carcere affligatur, quàm vinculis, verberibus, aculeis torqueatur, quòd eorum vanitatem, ac loquacitatem odio habeat, ſupplices manus Deo tendit, vt ſanctis ſuis aliquod numen oſtendat, & ipſam labentem, ac propè cadentem ob inimicorum ſuorum immanitatem, & dolum (quorum adhuc execrandos inſequitur mores) fulciat, & excipiat, & inquit: *Saluum me fac Domine*. in quo pſalmo ſex adnotabimus proprietates, quas Eccleſia hæreticis aſcribit. Quarum prima eſt, quòd ab eccleſia catholica ipſi ſeipſos eijciunt, ac euellunt. Ibi. *Quoniam defecit ſanctus*. Altera, quæ pendet à prima, eſt, quòd recedunt à veritate, ibi *Quoniam dìminutæ ſunt veritates à filijs hominum*. Cum enim veritas non niſi in eccleſia ſit, cum exeunt ab ea, vt à veritate recedant, & mendacijs ſe inuoluant, neceſſe eſt. Ex iſta ſequitur tertia, ſcilicet quòd vani ſint, ibi. *Vana locuti ſunt*. mendacio enim nihil vanius, cum nihil ſit. Quarta eſt, quod ſunt doloſi. Ne enim vanitas eorum ſtatim dignoſcatur, ac deinceps veritati cedere cogatur, commol-

liuntur

liuntur dolos aliud agendo, aliud ſimulando. Hinc ſequitur in pſalmo. *Labia doloſa in corde.* Hæc generat quintam, nempe quòd ſunt duplici corde, vt inter catholicos verſari, eoſque fallere poſſint, propterea ſtatim ac dixit, labia doloſa in corde, ſequitur. *Et corde locuti ſunt.* ſexta eſt arrogantia, quæ in his tanta eſt, quanta in homine poteſt eſſe maxima. Vnde ſuperbè, & inſolenter dicunt. *Linguam noſtrã magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter dominus eſt.* his ita adnotatis pſalmum explicemus. *Saluum me fac domine, quoniam defecit ſanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates à filijs hominum. Vana locutus eſt vnuſquiſque ad proximum ſuum, labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt.* multa mala domine, multa pericula, multæ calamitates mihi inſtant, quoniam defecit ſanctus; qui ſemel in regeneratione Baptiſmi innocens, & ſanctus renatus, & corpori meo aſcriptus fuerat, quiue aliquando per obſeruantiam mandatorum tuorum in accepta iuſtificatione perſeuerans, iuſtus vixerat, à me ad hæreſes, à iuſtitia ad iniquitates defecit, Tu, qui pollicitus es vſque ad conſummationem ſeculi mihi ſemper adfuturum

ex his omnibus malis me potẽter eripe, & ſalua: Ad hæc, qui hæſitant, dicunt; Quomodo potuit deficere ſanctus? aut certè nunquam fuit ſanctus, ſi defecit; aut certè ſi fuit ſemel ſanctus, deficere non potuit: Hæc ſunt verba ex doloſis hæreticorum labijs prodeuntia, à quibus abhorrere catholicas aures debere docet eccleſia, cum inquit. Quoniam defecit ſanctus. Ergo ſanctus deficere poteſt? vtique ab accepta iuſtificationis gratia excidendo. Hæreticos igitur fugiamus, & doctrinæ catholicæ eccleſiæ credamus, in qua ab initio locutus eſt ſemper vnus, & idem ſpiritus, qui à Patre, filioque procedens docet eam omnem veritatem, & extra omnem maculam ſeruat eam, nec eam cadere patitur, nec diſrumpi vnquam paſſus eſt. Qui enim in hoc pſalmo locutus eſt in Dauid, ſoluit quoque linguam Ezechielis, vt diceret. Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordantur. Rurſus. Iuſtitia iuſti non liberabit eum in quacunque die peccauerit. Iterum. Cum receſſerit iuſtus à iuſtitia ſua, feceritque iniquitates, morietur in eis. Et nouiſſime diebus iſtis omnes apo-

Ezech. 33

ſtolicæ

ſtolicæ ſedis legitimos filios congregauit in vnum, & eorum omnium ora reſerauit, vt anathematis gladio ferirent, qui hominem ſemel iuſtificatum dicerent amplius peccare non poſſe, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur, & peccat, nunquam verè fuiſſe iuſtificatum. Cõc. trid. ſeſſ. vj. can. 23.

Quoniam diminutæ ſunt veritates à filijs hominum. reddit cauſam. quare defecerit ſanctus, & eſt. quoniam diminutæ ſunt veritates à filijs hominum. Quamdiu igitur à veritate ad mendacia animum non traduxerunt, non defecerunt ab eccleſia, & ſancti fuere; cum primum vero à veritate abeſſe cœperunt, ex ſanctis, & iuſtis, qui & erant filij dei (dedit enim poteſtatem filios dei fieri his, qui credunt in nomine eius) facti ſunt de numero filiorũ hominum proprias voluntates ſequentium. Quid igitur ſequitur ex his? ſi ſanctus eſt, qui in eccleſia viuit, tantò magis ipſa ſancta eſt, quæ in ipſa fideliter permanentes ſanctos efficere poteſt: Præterea ſi ſe ipſum præcidit ab eccleſia, qui imminuit, ac ſubuertit veritatem, ergo eccleſia in his, quæ docet, & tradit, verax eſt, & quicquid addiſcit, ac profitetur in eccleſia ſanctus, id omne ve- Ioa. 1.

ritas est: Quicquid autem superseminat conuentus malignantium hæreticorum, grana sunt erroris, mendacij, & vanitatis. Ideo sequitur. *Vana locutus est vnusquisque ad proximum suum.* ad quid? ad decipiendum, ad seducendum: sed si sunt vana, & falsa, quæ ab his proferuntur, quomodo non dignoscentur? & quomodo etiam nō præcauebuntur? mentita, falsa, plenaque erroris sunt omnia, sed vt catholcos decipiant, veniunt ad eos in vestimencis oui-
Math. 7. um, intrinsecus autem sunt lupi rapaces,
2. cor. 2. transfigurant se in apostolos Christi, sicut & Sathanas eorum pater transfigurat se in Angelum lucis. Cum enim mortiferum virus suum, quo redundantem animum habent, euomere proponunt, summam humilitatis, ac pietatis imaginem præseferunt, prophanas deinde vocum, ac dogmatum nouitates promunt, quas (ne cito deuitentur) veteris, ac noui testamenti authoritatibus adumbrant, vt dum ex sacris doctrinis omnia prompsisse videntur, catholicorum animos in dubitationē adducant: Quod si assequuntur, tunc virus, quod in corde latebat, palàm euomunt, & vt antiqua, & immaculata ecclesiæ fides

desera-

deſeratur, vnitas reſcindatur, & eorum læthalis doctrina recipiatur; ſuadere conantur, & hoc eſt, quod ſtatim annectit Dauid. *Labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt.* repetit, corde, & corde; quia hæretici prius in corde conferunt, quomodo catholicos decipiant, deinde verba in corde concepta promunt ſub ſpecie quidem pietatis ſed in corde retinent propoſitum deſtruẽdi pietatem, ac religionem. & dum dicit. *Labia doloſa.* intelligamus verba, nam pro verbis ponit inſtrumentum, quo verba concipiuntur.

Diſperdat dominus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam. Memor eccleſia præceptorum Chriſti Ieſu ſponſi ſui mandantis. Diligite inimicos veſtros, Matt. 5. benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, orat pro pœnitentia, & conuerſione hæreticorum, vt in his deſtructa omni altitudine extollente ſe aduerſus ſcientiam 2. Cor. 10 Dei, & in captiuitate redacto omni intellectu in obſequium Chriſti, ſubditus fiat omnis mundus Deo. Declarans demum, quid per magniloquam linguam intellexerit,

exerit, inquit.

Qui dixerunt linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Hoc proprijssimum est hæreticorum, qui non Dei, sed propriam gloriam quærunt, qui non ex Deo, sed à semetipsis loquuntur, qui non vocantur à Deo tanquam Aaron, sed assumunt sibi honorem, & seipsos in caulam domini intrudunt, apostolicoque munere ob solum honorem, & gloriæ ambitionem non missi fungũtur. Hi cum à semetipsis, & contra Deum, ac sacram scripturã, traditionesque Apostolorum, ac sanctam Romanam ecclesiam catholicam, & Apostolicam loquantur, verè dicunt. *Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt.* at non sic ecclesia, non sic. Hæc enim sicut hæreticis penitus contraria est, Ita
Luc. 7. Christo in omnibus simillima est. Vnde sicut Christus dicebat. Doctrina mea non est mea, sed eius, qui misit me, patris. Quia & vt Deus omnẽ gloriam suam Patri, vti principio, (quod est sine principio)
Luc. x. & fonti æternæ, ac diuinæ eius generatio-
Ioa. v. nis deferebat. Vnde & dicebat. Omnia mi-

hi

hi tradita ſunt à patre meo. Pater diligit filium, & demonſtrat ei omnia, quæ facit. Omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. & hoc genus multa. Et vt homo non quærebat gloriam ſuam, ſed patri ſuo honorem deferebat, nec à ſe ipſo loquebatur, ſed quæcunque loquebatur in ipſo Pater: Dicente Apoſtolo. Multifariam, multiſque modis olim loquens Deus patribus in prophetis, nouiſſime autem locutus eſt nobis in filio ſuo. Ita quoque eccleſia, quæ Chriſto iuncta eſt, & ſunt duo in carne vna, quæ ſponſi ſui amore languens, ſemper ſtudet, quomodo placeat ei, ad imitationem eius inquit. Doctrina mea, qua vos filioli erudio, & animos veſtros tanta ſolicitudine excolo, non eſt mea, ſed eius, qui ſanguine ſuo crimina mea lauit, meque per omnia immaculatam conſtituit: Quia non meam, ſed Chriſti ſponſi, & Domini gloriã quæro: Quia, non à me ipſa, ſed quæ à Chriſto, & à Patre in filio ſuo loquente audiui, loquor vobis. Quia, non quæ proprio corde mihi aliquando finxi, ſed quæ accepi ab Apoſtolis, qui non ſunt locuti, niſi ex ſpiritu ſancto edocti ſuggerẽte omnia, quæcun-

Ioa. 15.
Ioa. 8.
Ioa. 12.
Hæb. 1.
Ioa. 14.

quæcunque dicebat, & nota mihi facere,
Matth.28 & docere mandauit Christus Iesus, trado vobis. Sicut (inquam) Christus,& ecclesia vere dicunt, doctrina mea non est mea. Ita ex aduerso Hæretici magniloqui, prophanas doctrinas in ecclesia superferētes, à seipsis loquentes, traditiones suas, veluti Pharisæi, traditionibus apostolicis præferētes, sed quid dico Apostolicis traditionibus? imo spiritui sancto, dum insolenter gloriantur se de diuinis scripturis sanctiorem, verioremque explicare sententiam, quàm Apostolos, quàm Catholicos patres, quàm sacrosancta concilia legitime congregata, in quibus omnibus locutus est semper spiritus sanctus, verè, & propriè dicunt. Doctrina nostra est nostra, linguam nostram magnificemus, labia nostra à nobis sunt; & illud legitimè addunt, quis noster dominus est? quia cũ sint aduersus Deum,sunt sine Deo,& ideo quis noster dominus est? nullus, quia cum scindant vestem Christi, & Christus scindat eos a veste sua, quæ est Ecclesia, inimici Dei fiunt sine Deo.

Propter miseriam inopum, & gemitum

tum pauperum, nunc exurgam dicit dominus. Non propter vniuersalis ecclesiæ salutem, quia nunquam deserit eam, nec labi permittit, sed propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, qui ex falsis hæreticorum doctrinis, crudelissimisq; cruciatibus magnas indies calamitates accipiunt, surrecturum se dicit Dominus; ne hæretici in mendacijs, & vanitatibus, eorumque magniloquentia diutius insolenter glorientur. Reor autem a Propheta in hoc loco inopes (huius vocis vim sequentes, nam inops dicitur, quasi sine ope, vel auxilio) appellari populum, vel plebem, cæterosque siue diuites, siue humiles sint, qui inter hæreticos commorantur omni spe, ac auxilio eorum, qui catholicam Religionem eos docere possint, destituti; ac propterea ab hæreticis christianã disciplinam, veramque doctrinam mentientibus, nec non in foris, ac templis phylacteria sua dilatantibus, ac fimbrias magnificantibus abducuntur a Catholica fide, & ad impiam eorum doctrinam per ignorantiam traducuntur: quos & miseros appellat inquiens. *Propter miseriam inopum.*

& certè

& certè miſeri ſunt, cum ob ignorantiam ab catholica eccleſia errent, & ob ſummã aliorum malitiam in profundũ abyſſi præcipites agantur. Hi ſimiles ſunt plebi, ac populo Iudæorum, qui a ſcribis, & Phariſæis ſeducti Chriſtum ante faciem Pilati negantes, & virum homicidam ſibi donari petentes Chriſtum interfecerunt. Ad
Act. 3. quos Petrus. Scio, quia per ignorantiam feciſtis. Pauperes vero arbitror Catholicos nominari, qui ab hæreticis oppreſſi,
Ioa. 19. aut metu fracti (ſicut de Ioſepho legimus, quòd diſcipulus erat Ieſu, occultus tamen propter metũ Iudæorum) Catholicæ veritati teſtimonium reddere prohibentur; (dicitur enim pauper, cui res ſuæ deficiunt, a paruo ſcilicet lare, vel parua pecunia) ſic & his eruditio catholica deficere videtur, cum (vt dixi) catholicæ veritati teſtimonium reddere prohibentur. Qui, quoniam in tanto mœrore verſantes laceratam ſcripturam dolent, vexatam eccleſiam gemunt, diſciſſam vnitatem, & obliteratam veritatem lugent: Propterea addit. *Et propter gemitum pauperum*. & ſubiungit. *Exurgam*. Vt pauperes ab illatis impedimentis expediti Catholicam veritatem

tatem liberius prædicare valeant, & inopes, audita veritate, ab hæresibus animos abducant, & fide catholica imbuantur, & saluentur.

Ponam in salutari, fiducialiter agam in eo. Hic, & sequens versiculus duplici explanatione illustrari potest. Altera, si vtrunque versiculum referamus ad Deũ, vt ipse sit, qui loquatur. Altera, si eos referamus ad ecclesiam, quæ, habito illo diuino responso. Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam dicit dominus. Et in tam desiderato promisso exultans dicat. Ponam in salutari, fiducialiter agam in eo. Si igitur Deus est, qui loquitur, dicemus. *Ponam.* idest, positum ostendam: quid? auxilium, quod in superiori proximo versiculo pauperibus, & ĩno pib⁹ laturũ pollicitus est. in quo? *In salutari.* Credo, SIXTE OPTIME MAXIME, te nunc esse hoc salutare, in quo surrexerit Deus, qui quasi à somno, quo correptus videbatur, dum bonitate, patientia, & longanimitate sua in hæreticos vtebatur, vltricem eius iram procrastinando, vt eos ad pœnitentiam adduceret, nunc

excitatus

excitatus per te dissolutam eorum licentiam, nimisque diuturnam peccandi libertatem vindicare, & afflictæ, diuque gementi, ac propè iacenti ecclesiæ salutem afferre velit. Vnde statim ac in Petri solio consedisti, in corde tuo posuit, vt eos, qui tot iniquitatum, ac scelerũ authores erãt, regno, principatuque priuares. Perge perficere, quod instituisti, curæ, cogitationesque Põtificatus, ac virtutis tuæ dignissimæ, numine diuino tibi datæ prosperum habebunt exitum; An credis, quòd Christus Dominus diutius ferre velit infamiũ Gebennensium peruersitatem? si tãto domus suæ zelo accensus facto de funiculis
Ioa. 2. flagello eiecit è templo sola diuinis sacrificijs necessaria vendentes, & ementes, non eijciet post tantam patientiam de Ciuitate illa, Meretrice magna odibiles illas gentes aduersus ecclesiam suam adeo impudenter, & superbè se extollentes? non eijciet eos, qui sacras eius ædes Diabolo dicarunt, & hæresum prædicatione polluerunt? non eijciet eos, qui vrbem illam, in qua olim catholica religio, fidesque vigebat, & per fidem Christus habitabat, eiecerunt vrbem perditionis, templum

iniquita-

iniquitatis, caput ſchyſmatis, portum omnium hæreſum, Sathanæ imperium, domicilium ſuperbiæ, ſedē luxuriæ, abyſſum omnium nefariorum ſcelerum, habitationem dæmoniorum, & omnis immundi ſpiritus cuſtodiam? Propè eſt dies perditionis eorum; cadet, cadet Babylon illa impia, quæ à vino iræ foruicationis ſuæ potauit tot gentes; peruenerunt peccata eius vſque ad cœlum, recordatus eſt Deus iniquitatum eius; Hanc iuſtiſſimam, atque à bonis omnibus diu deſideratam in eos animaduerſionē reſeruauit tibi Deus, vt maius præmium fidei, & labori tuo tribuat in æterna beatitudine. Diuinam exequere voluntatem; Catholicos Principes monitis tuis (tanta virtute, gratiaque te muniet Deus) fœdere ſtabili ſociabis, hoſtes eccleſiæ diſperdes, deſtrues, & ſicut de libro æternæ, ita & de preſentis vitæ delebis, Catholicaque eccleſia (te Principe, & auctore) tranquilla fruetur libertate. Hæc tibi pollicetur dominus, audi, quid dicat. *Fiducialiter agam in eo*. te miniſtro, pauperes, & inopes, quorum gemitus, ac triſtes caſus miſeratus eſt Dominus, à falſis hæreticorū doctrinis, ac crudeliſſimis ne- Apoc. 18.

E cibus

cibus liberando. Hæc ego firmiſſime credo, nam fidelis eſt dominus, & abſque vlla iniquitate, verbis ſuis nihil ab omni dolo, & falſitate alienius. Hoc teſtatur Dauid ſubiungens.

Eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum. Eloquia domini caſta ſunt, pura ſunt, & ſplendidiſſimo veritatis nitore fulgent, inſtar argenti non ſemel, aut bis, ſed ſæpe, ac ſæpius. ab omni ſorde terræ à diligēti artifice purgati. Sin autem Eccleſiæ vocem hanc eſſe placet. Dicemus. *Ponam.* omnem ſpem meam. *In ſalutari.* in Chriſto, qui me à tantis inimicorum meorum tētationibus, vexationibuſque, ac falſis doctrinis liberare, ſalutemque mihi afferre potens eſt. *Fiducialiter agam in eo.* promiſſum auxilium expectans, quouſque cognoſcantur. *Eloquia domini eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.* eloquia domini quomodo caſta? quomodo pura? quomodo examinata? quomodo probata, & purgata? legamus, quæ de Chriſto dixerunt Patriarchæ, Moyſes, & Prophe-

tæ, &

tæ, & quæ fecerit, dixerit, & mandauerit de se ipso Christus, quæue de eo scripserint Euangelistæ, & concionati fuerint Apostoli, & inueniemus hos omnes vna & voce, & animo ita sibi de omnibus, & semper consentire, vt fateri necesse sit (velint nolint hæretici) in ecclesia eloquia domini eloquia casta, igne etiã Spiritus sancti (dequo scriptum est. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes spiritu Sancto) examinata, nec non terræ, hoc est, a terrenis inuentionibus, atque excogitationibus probata, & septuplum, ideſt, millies, seu perfectè purgata (nam septenarius est perfectionis numerus, vt aliàs diximus, & probauimus) vbi? in sacrosanctis Concilijs ab Apostolica sede indictis, & congregatis, & cõfirmatis, in quorum medio astat spiritus sanctus reserans ora patrum diuina eloquia, hæreticarumque vocum, ac verborum pondera diligentissime examinantium, & veritatem a prophanis, falsisque eorum vocibus terrena, & vana promentibus purgantium: quæ diuina eloquia sæpius, & perfectè (vt dictum est) cum in sa- Act. 3.

cris Concilijs ad firmandam, figendam, ſtabiliendam vnitatem examinata, excuſſa, purgata, & vna ſemper, ac ſimili determinatione concluſa fuerint, obſtruitur os omne peccati, & compelluntur omnes fateri eloquia Dei eſſe eloquia caſta, igne ſpiritus Sancti examinata, ab omni ſorde peccati probata, & ab omni hæretica prauitate purgata; & qui non eſt, & colligit cum ea, diſpergere, & eſſe contra eam, & qui vnitatem eius non tenent, & doctrinã eius non profitentur in ea non eſſe, & qui foris ſunt, omnes perire, ſicut omnes, qui non fuerunt in arca Noe, periere.

Tu domine ſeruabis nos, & cuſtodies nos à generatione hac in æternum. Poteſt hic verſiculus dupliciter interpretari. Vno modo, vt dicamus. Tu domine ſeruabis nos &c. vt hæreticis, hæreſibuſque extinctis, ego te prædicare, te laudare, te venerari liberè poſſim: Altero autem modo, ſi dicamus. *Tu domine ſeruabis nos.* quia ſæuiant in me hoſtes mei, quot velint, me calamitatibus afficiant, nullam tormentorum vim prætermittant. *Tu ſeruabis nos, & cuſtodies nos à generatione hac in æternum.* quia

animos

animos fidelium tuorum ad voluntatem tuam ita confirmabis, vt eorum sæuitijs non solum non cedent, sed & gloriam suã existimabunt pro nomine tuo contumeliam, & mortem pati. Sed dicet aliquis. Si fideles internecioni dantur, non seruantur. At ecclesia dicit. *Tu domine seruabis nos, & custodies nos*. Respondeo, quòd Deus illos seruat, custoditque, dum dolorũ acerbitates consolando leuat, & in perferenda morte pro nomine suo solatium præbet. Aufer ab eis diuinum auxilium, vt sensibus succumbentes cruciatus, & mortem pro Christo subire recusent, erunt ne seruati, quia vita non priuati? non equidem: quin potius deserti, & morti perpetuæ addicti. Ergo seruantur, dũ pro Christo præsenti vita priuantur? Vtique. Hoc videtur difficile creditu. Audiamus Apostolum vitam pro Christo reddentem. Scio, cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem. Et Catholica ecclesia, cuius testimonium firmissimũ est, in natalitijs martyrum illud canit. Iste pauper clamauit, & dominus exaudiuit eũ, & de omnibus tribulationibus eius saluauit eum. Rursus in

2. Tim. 1.

Ps. 33.

est Deus; Mater est Ecclesia quæ & matrix est, cum in se ipsa, quasi in vtero, & visceribus nos formet, & perficiat, semen est homo, Corruptio est peccatornm detestatio, & propositum melioris vitæ; In sanguinem Christi conuertitur, & in carnem eius solidatur, vtrunque non indigne Ioa. 6. manducando, & bibendo, quia efficitur & 17. vnum in Christo corpus, & vna caro. Anima est diuina gratia, quæ illi infunditur. Gratiam autem dicimus animam, quia sicut in homine animali corpus est res informata, anima vero informans, ita in homine spirituali anima est res ab ipsa Dei gratia informante, ac vitalem, salutaréq; spiritum illi diffundente informata. Tempus, quo in hoc felicissimo ecclesiæ vtero plasmatur, & figuratur homo, est totum tempus præsentis vitæ, quo (sic vt supra diximus) caute portat pia mater ecclesia, custodit, & tanta solicitudine seruat, ne quasi abortum pariat nos æternæ morti, sed vt ex hac vita ad æternam, cuius vmbra, & imago hæc est, nos viuos, ac perfectos partus procreet, & cum Deo nostro viuamus, & regnemus in æternum. Vnde videmus, quòd Ecclesia dies illos, in qui-

bus ex hoc ſeculo in cœlum transiere ſancti, vocat natalitia ſanctorum, quòd tunc ad veram, & mortis expertem vitā fuerint nati. Vtraque eſt bona, & pſalmo congruens. Prima. Si rationem habeamus ad illum verſiculum. Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam dicit dominus. Altera eſt etiam bona propter illa huius verſiculi verba. Cuſtodies nos, & ſeruabis nos à generatione hac in æternum.

In circuitu impij ambulant, ſecundum altitudinē tuā multiplicaſti filios hominū.

Superbi, magniloqui hæretici veritatem tuam audire, & pœnitere recuſantes, & ſuæ eorum voluntati ſemper inhærentes, in ea perſiſtūt, & nunquā ab ea recedūt, & ſic ambulāt in circuitu; quū circularis motus ſit ab eodē in idē: ſed nō ſic ambulāt filij hominū, quos ſecūdū altitudinē charitatis tuæ multiplicaſti, quia iuſti, ac recti per te præcipuè facti, ſicut rectus motus eſt ab eodem in aliud, ita à ſeipſis in te deficiunt, & non propriæ voluntati adhærentes, ſed tibi vocanti aſſentientes ſecundum altitudinem miſericordiæ tuæ de vir-

tute

tute in virtutem multiplicantur, donec ad propoſitum finem, & brauium, quæ ſunt præmia cœleſtia, quæ promiſiſti diligẽtibus te, perueniant, & ibi quieſcãt in æternum.



PSAL-

PSALMVS DECIMVS Octaus.

TITVLVS.



N *finem. Psalmus Dauid.* Omnium interpretum explanationes, quæ ad dilucidandum hunc psalmũ adhibentur, duæ inprimis esse mihi videntur, quibus maxime conuenit hæc inscriptio. Altera eorum est, qui hũc psalmum ferunt à propheta decantatum aduersus eos, qui diuinam virtutem omnium effectricem, moderatricemque Prouidentiam inficiantes, mundum hunc cõcurrentibus temerè, atque casu atomis esse perfectum, & omnia fortuitò contingere existimant, quorum sententiam cum fabulosam, & penè anilem ostensurus sit Dauid à pulchritudine cæli, & syderum in eo existentium ordine immutabili, psalmum cõposuit, qui hanc præsefert inscriptionem. *In finem.* vt ex admiratione horum, quæ videmus, ad cognitionem vltimi illius authoris, qui virtute sua condidit,

dit, & prouidentia moderatur omnia, perueniremus. Iuxta illud Apoſtoli. Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas. Is autem eſt Deus. Vltra, & præter quem cum nullus alius ſit, ideo, in finem, ait. Altera vero eorum eſt, qui hoc in pſalmo Euangelicæ legis per totum orbem diffundendæ vaticinationem cõtineri tradunt, cuius principium, & finis, cum Chriſtus ſit, ideo vt nos ad Chriſtum traducat, quo ei pro beneficijs acceptis pias gratias agamus, huiuſmodi inſcriptionem appoſuit. Rom. 1.

P S A L M V S.

Cœli enarrant gloriam dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Principiò eam aggrediar explanationem, qua prouidentia Dei mundus, & omnes mundi partes & initio conſtitutas eſſe, & in omni æternitate adminiſtrari aſſeritur. Pro cuius rei intelligentia ſciendum eſt, nonnullos fuiſſe, quorum princeps eſt Epicurus, qui ex fortuita corpuſculorum concurſione

cursione mundum hunc esse effectum, & omnia casu accidere tradiderunt; quos cũ velit confutare propheta, sic exorsus est. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Dies Diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Sed antequam ad vlteriora progrediar, illud primum omnium sciendum est, quid pro cœlis, & quid pro firmamento intelligat propheta, & hæc velut vtriusque explanationis fundamenta semel iaciam, ne illa pluries mihi repetere deinceps necesse sit. Nã & firmamentum dictum esse cœlum, tradit Moyses, cum dixit. Vocauitque Deus firmamentum cœlum. Vnde nequid superuacaneum sit, aliud cœlum, aliud firmamentum omnino significare cẽsemus. Firmamẽti igitur nomine octo inferiores orbes contineri arbitramur, diuinæ scripturæ testimonio fulti. legimus enim. Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Deinde. Vocauitque Deus firmamentum Cœlum. Postremò. Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem, & noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos, vt luceant in Firmamento cœli, & illuminent terram.

Gen. 1.

Gen. 1.

ram. Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præesset Diei,& luminare minus, vt præesset nocti, & stellas,& posuit eas in firmamento cœli. Omnes autem stellæ aut vagæ sunt, aut inerrantes, & fixæ. Ex fixis ornatur illud cœlum, quod dicitur stellatum; ex vagis cõficiuntur quinque illi orbes, quorum primus (ab altioribus ad inferiores descendendo) dicitur Saturni, secundus Iouis, tertius Martis, Quartus Mercurij, Quintus Veneris: At cum & luminaria magna, & stellæ sint in firmamento cœli, rectè sequitur, vt vocabulo firmamenti hos octo, quos diximus, orbes intelligamus. Quinque scilicet errantium syderum, duos solis, & Lunæ, & vltimum stellatum. Cœlorum vero nomine intelligemus tum materiales, tum & spirituales: Cœlos materiales in tres cœlos principales destinguimus. Primum est illud, de quo nuper verba fecimus, cui Deus firmamenti nomen imposuit, & octo complectitur orbes; Alterum est cælum Aqueum, seu (quod vocant) crystallinum. Tertium est Cœlum empyreum,& est Dei,& Angelorum eius, sanctarumque animarũ æternum Domicilium;

cilium; quod à Christo Domino nuncupatur Domus dei, cum dixit. In Domo
Ioa. 14. Patris mei mansiones multæ sunt. & licet vbique sit Deus, in hoc tamen cœlo magis præcipuè dicitur habitare, quòd in hoc gloriosius, & manifestius videatur, & fruatur. De his cœlis dixit Moyses. In principio creauit Deus cœlum, & terram.
Gen. 1. Cælos itidem spirituales in tres cœlos diuidimus. Quorum alij dicuntur Rationales, alij intellectuales, Tertium dicitur supersubstantiale. Cœli rationales sunt iusti homines, à ratione nuncupati, quòd ad rerum notionem inquirendo, componendo, ratiocinando perueniaut. Quòd autẽ isti dicantur Cœli optime probat Grego-
Grego. ad Matth. 12 rius sic argumentando. Congregatio iustorum regnum cœlorum dicitur, quia per prophetam Dominus dicit. Cœlum mihi sedes est. & Salomon ait. Anima iusti sedes est sapiẽtiæ. Paulus etiam dicit. Christum Dei virtuttem, & Dei sapientiam. liquidò igitur colligere debemus, quod si Deus est sapientia, Anima autem Iusti sedes sapientiæ, dum cœlum dicitur sedes Dei, cœlum ergo est anima iusti. Intellectuales sunt Angeli, sic dicti, quòd intu-

itiuè,

tiuè, ſine ratiocinatione altiora Diuinitatis ſacramẽta percipiant, & in ipſo Deo omnia intueantur, & omnium notitiam aſſequantur per lumen ſpiritualis ſciẽtiæ, quod eis intus per inuiſibilem aſpirationẽ infunditur. Teſte Dionyſio illis verbis. Aeſtimandum eſt eas (Angelos, quos vocauerat eſſentias) contemplatiuas ſenſibilium ſymbolorum &c. Quod autem hi dicantur cœli, teſtatur Iob dicens. Tu forſitan cum illo fabricatus es cœlos? Vbi gloſa. poſſunt per cœlos hi, qui in cœleſtibus ſunt conditi, Angelici ſpiritus deſignari. Item hi cœli in tres ſegregantur ternas diſpoſitiones (vt eiuſdem Dionyſij verbis vtar) quarum prima Angelos, Archangelos, & Principatus complectitur. Altera ex Poteſtatibus, Dominationibus, & Virtutibus perficitur. Tertia Tronos, Cherubin, & Seraphin continet. de quibus intellexiſſe creditur Apoſtolus, quum dixit. Scio hominem raptum vſque ad tertium cœlum. Et Ioannes. pœnitentiam agite appropinquat enim regnũ cœlorum. Ideſt Angelorum, vt ſicut in eo regnant Angeli, regnent quoque iuſti. Supra hos cœlos eſt illud, quod dicitur ſuperſubſtantiale

cœlum,

Diony. in lib. de cœleſ. Hiera. cap. vij.

Iob. 37.

Diony. li. citato cap 7. in fi.

2. cor. 12.

Ioa. 3.

cœlum, & eſt diuina eſſentia, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Qui ſoli ſunt inter ſe omnino, & perfecte æquales. Hăc ſuperbenedictam Trinitatem, ac Diuini-
S. Bona. 2 ſent. lib. diſt. 2. q. 3. ſuper his verbis Aſcendā in cœlū. tatem nuncupari cælum tradit S. Bonauĕtura dicens. Cœlum eſt corpori nomen impoſitum, quod ſurſum eſt, quia contĕtiuum, ſecretum, & quietum; & hæc triplex proprietas reperitur in celſitudine Diuinitatis; eſt enim Ampla immenſitate virtutis, ſecreta profunditate cognitionis, quieta tranquillitate delectationis. & hoc eſt illud cœlum, in quod lucifer aſcendere arbitratus eſt, cũ dixit. In cœlum aſcen-
Eſa. 14. dam, ſuper aſtra dei exaltabo ſolium meum. Hæc licet altius repetita videantur, vtranque tamen expoſitionem legenti nihil ſuperuacuum dictum eſſe conſtabit: Nũc igitur ad explanationem pſalmi propius accedamus. *Cæli enarrant gloriam Dei*. ſi Aqueum dicimus, hoc enarrat gloriam dei, dum opus eius tanto artificio, quantum non poteſt comprehendi, perfectum nos in admirationem traducit. Diuinum enim, & incomprehenſum artificium cōmĕdat, amplificatque æterni opificis gloriam, & authoritatem. Quis enim cælum,

quod

quod eſt aer extenſus, & adeo ſubtilis, vt ſpiritus dicatur ab Eccleſiaſte, quùm ait. Lustrans in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur. infinitas aquarũ copias ſuſtentare crederet? niſi ſcriptura diuinitus inſpirata diceret. Fiat firmamẽtum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. & fecit Deus firmamentum, diuiſitque aquas, quæ erant ſub firmamento ab his, quæ erant ſuper firmamentum. & alibi. Extendes cœlum ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora eius. Rurſus. (vt in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum) Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt, Domino. Si de Empyreo quoque intelligemus, & illud enarrat gloriam dei, dũ in cœlo illo aliud æuum credimus ſempiternum, in quo iuſtorum animæ æquam laborum ſuorum mercedem ſint accepturæ, & cum Angelis diuino aſpectu fruituræ. An non ſumma declaratur gloria dei, qui quod præſens ſeculum videret tale, in quo ſæpius afligerentur iuſti, futurũ creauerit, cuius bonorum ſpe eos conſolaretur, & in quo vnicuique poſſet pro meritis diſpenſare? & dum hæc tam accurata conſideratione facta conſpicimus, quis di-

Eccleſ. 1.

Pſal. 103.

Dau. 3.

uinam prouidentiã diſſimulare auſus erit? Sin autem cœlos dicamus Angelos, & ipſi enarrant gloriam dei, dum in conſpectu creatoris aſtant, & in ipſius contemplationem ſemper intenti cœleſtibus hymnodijs laudes eius inceſſanter proſequuntur.

Et opera manuum eius annunciat firmamentum.

Orbes iſti inferiores declarãt ſe opera eſſe ſolius Dei, dum oculis in ipſos ſuſpicientium oſtendunt ſe tanta pulchritudine excellentes, tanto ordine diſtinctos, vt neque ad vſum meliores potuerint eſſe, neque ad ſpeciem pulchriores. Quis enim cœlum clariſſima ſolis luce diffuſum, luna deinde, (cum terras nox opacauerit) aſtriſque diſtinctum, & ornatum videt, & ſpeciem excogitare poteſt ornatiorem? Quis etiam Solis, & Lunæ earumque ſtellarum, quæ errare dicuntur, ſitum conſiderabit, & non fatebitur ad vtiliorẽ vſum fieri non potuiſſe? Cum enim (vt ait Cicero) ſtella Saturni refrigeret, Martis vero incendat, interiecta eſt ſtella Iouis, quæ illuſtret, & temperet. Duæ, quæ infra Martem ſunt, Soli obediunt; Ipſe autem ſol mundum omnem ſua luce complet, ab eoq; luna illuminata grauiditates, & partus

Cice. lib. de natu. deorũ. 2.

tus

tus affert, maturitateſque gignendi. His adde horum omnium ſyderum motus, eoſque conſidera conſtantes, immutabiles, diſtinctos, & ſemper ordinatos, quibus aeris temperies pro ratione temporum diſpenſatur, & ordo viciſſitudinum, permutationumque ſeruatur, & horum omnium opus non eſſe diuinum inficiare, ſi potes. Fateri quidem neceſſe eſt, eiuſdem bonitate, ac prouidentia mundum hunc regi, cuius virtute, ac potentia creatum credimus, ac for matum; & vna cum Alexandro dicere. Omnia eſſe Deo plena, Deum ad omnia pertingere, & per omnia, quæ ſunt, pertranſire, & omnia, quæ fiunt, fieri ſecundum eius voluntatem. Firmamenti ergo forma, & pulchritudo, aſtrorumque ſpecies, & curſus certis rationibus definiti Deum nominant creatorem ſuum, & ſummam eiuſdem conditoris prouidentiam rebus ab ipſo creatis in omni æternitate adhibitam teſtãtur, & præſeferunt. Hinc ſequitur Dauid.

Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Quomodo enim ſol perpetuis, & ordinatis diſtinctionibus curſum ſuum, ex quo ſunt dies, ac noctes, te-

neret, nisi, qui omnipotenti virtute sua eũ creauit, sua quoque prouidentia conseruaret, ac regeret? Graue quoque argumentum diuinæ prouidentiæ est continuata, cõstansque diei, ac noctis vicissitudo, quæ animantibus tribuit aliud agendi tempus, aliud quiescendi; sed & illud dei prouidentiam declarat, quod sicut multus calor, sic nimium frigus omnia consumeret, gelido rore noctis temperauit diei calorem, & vicissim diei calore noctis rorem, vt hac caloris, frigorisque varietate efficeretur animantium, segetum, omniumque rerum generatio, & conseruatio. Igitur. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam*. hoc est, dat intuentibus, contemplantibusque cognitionem dei, & prouidentiæ eius. Dicuntur .n. eructare verbum, dum ordinem à deo sibi cõstitutum seruantes, & tam mirificos euentus gignentes instruunt nos hoc opus esse solius Dei, & ordinem operis prouidentiæ eius. Nam obsequium, quod voluntati conditoris præstant, & quo nos erudiunt, est sermo istorum; & verba, quæ nos audimus, est cognitio Dei, ad quam ex his peruenimus. Nec alienum est à scriptura huiusmodi cognitionem, quã de excellen-

tia,

tia, essentiaque diuinitatis consequimur, hoc vocabulo (verbi) nuncupare. Nam & Apostolus ad tertium cœlum raptus inquit: ibi audisse arcana verba, quæ non licet homini loqui, hoc est, eam de Deo habuisse cognitionem, quam de hominibus nemo loqui debet.

Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Verborum seriem sic ordinemns. Non sunt loquelæ, neque sermones eorum (Cœlorum, firmamenti, diei, ac noctis) quorum non audiantur voces. Hinc sequitur: In omnem terram exiuit sonus eorum. Nam magnitudo, ornatus, pulchritudo ordoq; rerum cœlestium, & earum efficentia sunt illæ loquelæ, & ij sermones, qui quasi per articulatas voces authoritatem, potentiam, maiestatem, & prouidentiam loquũtur Artificis, ac eius notionem imprimunt in animis nostris. Quòd autem opera Dei admirabili eorum virtute, quasi voce vtantur ad informandam in nobis Dei notitiam, docet Christus in Ioanne dicens. Opera, Ioã. v. & x.

quæ ego facio in nomine patris mei, teſtimonium perhibent de me. Non quia ſenſibilem vocem emitterent, ſed quia tam mira, & portentoſa erant, vt ſolius Dei virtutem teſtarentur. Quòd autem ait. *Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum.* æque eſt, ac ſi diceret. Nō eſt pars formæ, ſeu ordinis huius artificioſi, diuiniq́ue operis, quæ Deum non clamet creatorem, moderatoremq́ue. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Nam ſiue à Septentrione aſcēdas in meridiem, ſiue ab occaſu pergas ad ortum, ſiue luſtres vtrunque polum, cernes hunc admirabilem cœli ornatum, ratos ſolis, & lunæ curſus, immutabilemq́ue Diei, & noctis viciſſitudinem; cernes quoque terram varijs ſeminibus grauidatam, florū, herbarum, arborum, frugum multitudinem generare, quòd & ipſa à ſuperis alatur naturis, quæ agunt in hæc inferiora ſingulæ ſuas poteſtates. Vnde ſiue ſurſum, & deorſum, ſiue vltro, citroque te vertas, cognoſces huius cœleſtis habitationis Deum non ſolum fuiſſe creatorem, ſed etiam eſſe rectorem, ac moderatorem:

In ſole poſuit tabernaculum ſuum, &

ipſe

ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.

Exultauit, vt Gigas ad currendã viam, à summo cælo egreßio eius.

Et occursus eius vsque ad summum eius, nec est, qui se abscondat à calore eius. Dum legimus Deum in sole domicilium posuisse, & deus simplicissimus sit, ab omnique (quam sensus fingere possit) penitus concretione Secretus, & ideo nulla eum loci circunscriptio metiri queat, in ijs ipsum habitare dicemus, à quibus maiorem eius notionem percipimus, cuiusmodi sunt ea Dei opera, quæ cæteris magnitudine, forma, virtute, efficientia, perfectione præstant. A magnitudine enim (inquit sapientia) speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri. Huiusmodi Sap. 13. autem est sol, qui & superiorum, & inferiorum corporum tenet principatum, non solum ob eius magnitudinem, verum etiã ob eius claritatem, & virtutem, & efficientiam, & perfectionẽ. Vnde in Hexameron dixit Ambrosius. Sol est oculus mundi, iucunditas diei, pulchritudo cœli, & men-

ſura temporum, virtus, & vigor omnium naſcentium, decor, & perfectio ſtellarum. & Martianus. Sol eſt principium lucis, rex naturæ, mens mundi, fulgor olympi, moderator firmamenti. Et Cicero appellauit ipſum Ducem, & moderatorem temporũ, principem luminum reliquorum, & mentem mundi, & temperationem, cuncta ſua luce luſtrantem, & complentem. Ob tantam igitur ſolis perfectionẽ inquit Dauid. In ſole poſuit tabernaculum ſuum. quòd ex eo maiorem, quàm à cæteris rebus creatis Dei notitiam percipiamus. Hinc eſt, quòd cum Chriſtus imaginem, ſimilitudinemque eius gloriæ, cuius ſpecie, ſubſtantia, & plenitudine fruituri ſunt in cœlis electi, Apoſtolis ad euacuandum futuræ crucis ſcandalum oſtenderet, ſolis fulgori, ac claritati ſimilem ſe exhibuit. Reſplenduit, inquit Matthæus, facies eius ſicut Sol. Adde, quòd dicatur Deus in Sole tabernaculum ſuum poſuiſſe ob miras, & occultas, quæ Soli cum Deo ſunt, ſimilitudines. Siquidem in ſole poſuit Deus lucem, ſplendorem, atque calorem. Et in Diuinitate eſt Pater. de quo Ioannes. Deus lux eſt. Et. Credite in lucem, vt filij lucis ſitis. Eſt filius,

Cice. Tuſ. & de ſomn. & academ. quæſt.

Matth. 17

Ioa. 1.

Ioa. 12.

lius, qui dicitur, & est Splendor gloriæ patris. Est quoque spiritus Sanctus, qui charitas, & ignis consumens est. Illa tria sunt Hæb. 1.
in Sole distincta, nec vnum potest esse alterum. Ita in Diuinitate sunt istæ tres per- Ioa. 4.
sonæ ita distinctæ, vt nullam admittant confusionem; nec pater sit filius, aut spiritus Sanctus, nec filius sit pater, aut spiritus Sāctus, nec spiritus Sanctus sit pater, aut filius: Et sicut istæ tres personæ vnum faciūt Deum, non tres Deos, ita & in illis tribus vnus conspicitur Sol, non tres soles: & sicut à luce oritur splendor, nec tamen lux est splendore prior, ita & filius est à patre genitus, nec tamen est genitore posterior; sed coæternus illi. Præterea sol omnium corporum obtinet principatum; nam omnia excellit magnitudine, claritate, dignitate, & virtute. Deus autem tantæ est magnitudinis, vt sit extra omnia per complexum, supra omnia per potentiam, infra omnia per sustentationem. Tantæ claritatis, Ioa. 1.
vt illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum, & futurus sit totius Hie- Apoc. 21.
rusalem cœlestis vnicum, & indeficiens lumen, & Ciuitas non eget sole, neque luna, vt luceant in illa, nam claritas Dei illuminabit

nabit eam. Tantæ dignitatis, vt omnem ſuperet intellectum; hæbes eſt in ea conſideranda omnis acies ſenſuum; à nulla creatura ſiue cœleſti, ſiue terrena metitur; quicquid audiri, vel videri, vel ſciri poteſt, tantæ non conuenit dignitati. Tantæ etiam virtutis, vt omnes creaturæ ſiue intellectuales, ſiue corporeæ, ſiue inanimæ, ſiue animatæ, ſiue rationis expertes, ſiue participes in nihilo redigerentur, niſi ipſe in omnes ageret, niſi illas regeret, ac ſuſtentaret: poſſunt & aliæ Solis excellētiæ, quas ego breuitatis cauſa miſſas facio, conſiderari, & ſingulas earum Deo conuenire cognoſcemus, & fatebimur Prophetam conſulto dixiſſe. In ſole poſuit tabernaculum ſuum; *Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultauit, vt gigas ad currendam viam.* Hac cōparatione, quam Solis ad ſpōſum facit propheta, oſtendit quanta alacritate creatoris ſui mandatum proſequatur, dum inſtar læti, ac iucundi ſponſi, qui diu deſideratæ cōiugis nuptias potitus ſit, oritur fulgentibus radijs nitens, & omnia luſtrans, & quaſi gigas, quem nullus labor defatigare poteſt, non inuitus, ſed exultans, & voluntarius ſuum conficit orbem, nec tam diuturnus, & tot

& tot ſeculorum ætatibus continuatus curſus impedit, aut retardat eius officium, quominus & horas, & dies, & menſes, & annos, & temporum viciſſitudines diuerſis motibus ſignet, & nunc hyemem, inde ver, æſtatem poſt, & Autumnum certa ſui curſus dimenſione diſcernat. Via, quam currit Sol, eſt Orbis, quem motu ſuo perficit, & abſoluit, quem inter abſoluendum tot rerum, & temporum viciſſitudines, permutationeſque fiunt. *à ſummo cælo egreßio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius.* in cœlo duo puncta imaginaria ponuntur, quos polos nuncupant Aſtrologi, & vnum Arcticum, alterum vero Antarcticum vocant. Hic, cum imus ſit, ac depreſſus, à nobis videri non poteſt, & in iſto occidere videtur Sol. Ille autem nobis altiſſimus eſt, & cum idem Sol diem ducit, in eo item oriri videtur. inquit igitur Propheta, Quòd ſolis egreſſio eſt à ſummo cœlo, & occurſus eius vſque ad ſummum eius, dum ad eundem, vnde oriendo profectus eſt, polum reuertitur, quem curſum dum conficit, nihil creatum eſt, quod lucem ſuam non aſpiciat, & calore eius non accendatur. Hinc ſequitur: *Nec eſt, qui ſe abſcondat à calore eius.* ſicut omnium

nium rerum nihil eſt, quod radiorum ſolis lumine non illuſtretur, ita nihil, quod eorum calore non nutriatur: Radij enim, dum celeri motu ſuo ſol circunfertur, ſuperficiem corporis obiecti percutiunt, & in ſeipſos reflectuntur, ex quorum vehementi reflexu comprimitur aer, & calor efficitur; à cuius calore non eſt, qui ſe abſcondat, quia omnia corrumperentur, niſi ſolis calore, & lumine ſeruarentur. Siquidem calore ſuo virtutem, quæ radicibus latenter nititur, excitat, & in actum producit, totque florum, & fructuum ſpecies gignit, & genitas cuſtodit. Vnde Dionyſius de mirabili ſolis efficientia dixit. Senſibilinm eſſentias, & qualitates multas quidem, & diſcretas exiſtentes, ipſe Sol vnus ens, & vniformis, & illuminans lux renouat, nutrit, cuſtodit, & perficit, & diſcernit, vnit, & refouet, fæcunda facit, auget, mutat, collocat, plantat, renouat, & viuificat omnia.

Diony. de diui. nomi. cap. V.

Lex domini immaculata, conuertens animas, teſtimonium domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis.

Iuſtitiæ domini rectæ, lætificantes corda, præceptum domini lucidum, illuminans

nans oculos.

Timor domini sanctus, permanens in seculum seculi, Iudicia domini vera, iustificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel, & fauum. Cum in principio hoc admirabile, & immensum mundi opus cõsumaret Deus, creauit diem, ac noctem, solem, & lunam, firmamentum, & stellas; locum quoque constituit aquis, quæ diuinæ voluntati obtemperantes ad præscriptũ locum concurrerunt, & statim apparuit arida, & congregationes aquarum effectæ sunt maria. Iussit deinde noctem lunæ, diẽ vero solis lumine vti: Hæc præterea cum cæteris stellis errantibus rerum, & temporum varietates efficere mandauit, dicens. Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos. fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti, & stellas, terram quoque, & aquas omnia herbarum, & virgultorum, & animan-

& animantium terreſtrium, aquatilium, & volatilium genera producere imperauit. Quæ iuſſa legē Domini nuncupat propheta, dicens. *Lex domini.* nec eſt à ſcriptura alienum, huiuſmodi dei diſpoſitionem creatis rebus indictam legem diuinam nuncupare; nam & alibi dicitur. quando ponebat pluuijs legem. & in alio loco. quando
Iob. 28. circūdabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis. Quæ iuſſa quoniam ab om-
prou. 8. nibus creatis rebus inuiolatè ſeruantur, ſic vt ſuperius latè diſſeruimus, ideo ſtatim ſubiecit. *Immaculatam.* cæterum quia, qui hæc ſuſpiciunt, & intelligunt, non poſſunt non fateri Deum horum omnium creatorem, propterea addit. *conuertens animas* ad cognitionem Dei. Verum etiam, quoniam hæc, quæ tanta pulchritudine, & præſtātià, & ordine creata ſunt, in eorum perfectiſſimo, & primo eſſe reguntur, & conſeruantur omnia (quod ex eorum permutatione, & temporum varietate, noctiumq; ac dierū viciſſitudine, quæ certo, & diſtincto ordine fiunt, & per tot annorum millia inuiolabili lege perſeuerant, facile dignoſcitur) firmiſſimo ſunt nobis teſtimonio Deum operis ſui admirabilis, & immenſi curam gerere, & omnibus

omnibus rebus consulere, hinc est, quod ait. *testimonium Domini fidele* hoc est, testimonium reddens domini gubernationis, ac ꝓuidentiæ de rebus humanis. Nouissimo loco, quia cognitio Dei, & prouidentiæ eius non superbis datur, sed humilibus, quibus gratiam suam impartitur Deus, ideo ait. *Sapientiam præstans paruulis.* At quia cum agnouerimus hæc omnia, de quibus hucusq; sermonem habuimus, Dei prouidentia administrari, ad eam quoque scientiam deueniemus, quòd tanto magis nostrum, cuius gratia ea omnia mollitus est, quorumue vsui cuncta cedere voluit, rationem habeat, & quali vnusquisque nostrũ sit, quid agat, quid in ipsum Deum admittat, qua mente, qua pietate ipsum colat, diligẽter inspiciat, ideo sequitur. *Iustitiæ domini.* quòd per ipsorum considerationem diuinæ iustitiæ notitiam habeamus. addit etiam. *Rectæ.* tum ꝙ ipse iustus sit in habenda operum nostrorum ratione, tum quòd per eandem considerationem ad rectè agenda opera nos erudiant. Verùm quoniam, quum diuinæ iustitiæ notitiam, & gratiã consecuti fuerimus, statim sese nobis offert animarum discretio, & cœleste præmium iustis soluendum,

æterna quoque ſupplicia impijs irroganda, ex quibus gaudium, & timor infigitur in cordibus noſtris. Timor,ne pro peccatis noſtris à charitate Dei ſeparemur, & igni tradamur æterno. Gaudium, vt per gratiã Dei, & bonis operibus noſtris digni inueniri poſſimus, quibus æternæ benedictionis munera largiantur, ideo hæc tria ſtatim annectit dicens. *Lætificantes corda.* quòd iuſtitiæ vacantes ad contemplationem Dei introducendi ſimus: Et quoniam,cum huius gaudij partem,vel minimam guſtare cœperimus, ob miram quam in recte operando, delectationem habemus,à quibuſcunque, quæ ab vnitate Dei nos impedire poſſunt, reuocamur,& ideo hoc gaudium eſt quoddam præceptum in animam noſtram inſitũ, iubens bonum,vetans malum, & vtrunque diſcernendi intelligentiam enudans,idcirco ſequitur. *Præceptum domini lucidum, illuminans oculos.* hinc ſequitur ille, qnem paulò ante diximus, timor, qui in nobis verſatur, & quaſi animæ cuſtos ſemper vigilat, ne quid immundi, quod Deum contriſtet, limen animæ intret & propterea inquit. *Timor domini ſanctus.* quòd iuſtitiæ & ſanctitatis noſtræ ſit propugnator acerrimus; & quia huius

ius timoris partes ſunt non ſolum in hoc ſe culo nos à peccatis auerterre, verùm etiam in futuro in perpetuis laudibus creatoris nos occupare, ea re inquit. *Permanens in ſæculum ſæculi.* poſtremò ſequitur illa, quam diximus, piorum, & impiorum diſcretio in fine temporum à Chriſto domino habenda ideo inquit. *Iudicia domini*. quæ diſcretio, quoniam omni procul dubio futura eſt, & in ea vnicuique pro meritis iuſtè reddetur, ideo inquit. *Vera.* quia etiam ea erit, quæ nec prece, nec pretio ab æquitate flecti poſſit, propterea ſub iungit. *Iuſtificata.* & quia hæc iudicia non ſolum erunt irrepræhenſibilis iuſtitiæ, ſed etiam nulla ſuperiori lege (ſicuti humana iudicia) ſed ſola ipſius Iudicis authoritate fulcientur, ideo inquit. *In ſemetipſa.* quòd quanti facienda ſint hæc iudicia, ex eorum præſtantia, & ſuauitate percipitur, longe enim præſtantiora ſunt quibuſcunque rebus pretioſis, & ſuauiora omnibus, quæ guſtui ſuauiſſima eſſe poſſunt, ideo inquit. *Deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel, & fauum.* ex his quæſo videamus, quanta bona ſimul connexa ex cognitione prouidentiæ Dei ſequantur. cum enim eam agno

ueris, professusq; fueris, aperitur quoque tibi notitia diuinæ iustitiæ; ex hac oritur gaudium, & timor futurorum; ex his obseruātia mandatorum; expectatur deinde, & creditur diuinum iudicium, in quo operum nostrorum ratio iam habita per iustorum, & iniustorum secretionē absoluatur, & terminetur, Vel pro lege domini, de qua dicit. *Lex domini immaculata*. legem hominibus datam sumamus, & dicamus, quòd postquam Dauid Deum probauit omnium conditorem, & moderatorem à creatione, & conseruatione cæli, & terræ, & ornatus eorum, alia quoque ratione probet eiusdem prouidentiam scilicet à cura, quam nostrum semper gessit; nam condito homini legem dedit naturæ, qua Deum cognosceret, & eius voluntate morem gereret, si voluisset. rursus, ab hac lege per peccatum lapso, aliam dedit legem tabulis lapideis digito suo conscriptam, quæ hominibus illis peccatum ostenderet, & de operibus Deo gratis instrueret, eosq; ad innocentiam, & iustitiam promissione bonorum rursus alliceret, & à peccatis denunciatione malorū deterreret: hanc vero legē varijs nominibus appellat, eiusque conditiones describit, quibus etiā

eiusdem

eiusdem effectus annectit. Sex igitur nominibus eam designat, scilicet, nomine legis, Testimonij, Iustitiæ, Præcepti, Timoris, & Iudicij. Huic sex ascribit qualitates, nimriũ, quòd sit immaculata, fidelis, recta, lucida, sancta, & vera. totidem denique subijcit eiusdem effectus, nempe, conuertens animas, sapientiam præstans paruulis, lætificans corda, illuminans oculos, permanẽs in sæculum sæculi, iustificata in semetipsa; ex his pulcherrimam illam conclusionem efficit, quòd propterea sit desiderabilis super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulcior super mel, & fauum. his ijsdem vocabulis eam appellauit Moyses, cum dixit. Scitis, quòd docuerim vos præcepta, atque iustitias. Et. ista est lex, quam pro- Deuth. 4.
posuit Moyses coram filijs Israel, & hæc testimonia, atque iudicia. Rursus. Hæc sunt Deuth. 6.
præcepta, atque iudicia, quæ mandauit dominus Deus. & inferius. Cum interrogauerit te filius tuus, quid sibi volunt testimonia hæc, atque iudicia, quæ præcepit dominus? lex vocabatur, quatenus erat regula quædam ad quam totius populi illius vita dirigebatur, formabaturq;. testimonium, quatenus præcipuam Dei in populum illũ Deuth. 4.

 dile-

dilectionem testabatur. Vnde. Non est natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. &. populus sanctus es Domino deo tuo, te elegit Do-
Deuth. 7. minus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terrã; non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est dominus, & elegit vos, cum omnibus sitis populis pauciores, sed quia dilexit vos Dominus, & custodiuit iuramentum, quòd iurauit patribus vestris. Iustitiæ, quatenus suum vnicuique tribuebat, & societatem illius populi duri mutua coniunctione tuebatur, proximum violare acerrime vetans. præcepta, quatenus mandabat, quid Deo, quid proximo deberẽt, & quid vtrique redderent. Veluti ea, quæ sunt Decalógi, quæ adhuc vulgari vocabulo præcepta dicuntur. timor, quatenus timore supplicij à peccato deterrebat, vel quòd Deum timere in primis iubebat. Iudiciũ, quatenus forenses, iudicialesq; causas tractabat, & delinquentes morte, exilio, vinculis, damno coercebat. Hanc nuncupat immaculatam, quòd vetaret omne peccatum. fidelem, quòd seruantibus eam promissa fi-

deliter

deliter reddidiſſet Deus; vnde ſcriptũ eſt. Ioſ. 21.
Deditq́; dominus Deus Iſraeli omnem terram, quam traditurum ſe patribus eorũ iurauerat, nec vnum quidem verbum, quod illis præſtiturum ſe eſſe promiſerat, irritum fuit, ſed rebus expleta ſunt omnia: rectam; quòd ſemitas iuſtitiæ oſtenderet, per quam incederẽt. vnde ſæpius eis dicebat Moyſes; cuſtodite, & facite, quæ præcepit Dominus deus uobis, non declinabitis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram, ſed per viam, quam præcepit dominus Deus veſter, ambulabitis, vt viuatis, & bene ſit vobis. Lucidam, quòd in ea tanquam in ſpeculo expreſſam imaginem vitæ, quam viuerent, intuerentur. Hinc præcepit eis Moyſes. erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens, & ligabis ea, quaſi ſignum in manu tua, eruntq́; & mouebuntur ante oculos tuos. ſanctã, quòd & ſancta iuberet, & ſanctos efficeret ſe colẽtes. Vnde ſæpe, ac ſæpius populum illum populum Dei ſanctum vocat Moyſes. verã, quòd citra omnem dolum iudicia ſua exercenda iuberet, ita vt nec pauperis miſereri

Deuth. 5.

Deuth. 6.

Deuth. 1. & 16.

Exod. 23.

vellet in iudicio. Huic tribuitur, quòd conuertat animas; à superstitione scilicet idolorum ad cultum, & religionem veri dei. vnde & millies ei præcipitur. Dominus Deus vester vnus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Non ibitis post Deos alienos. Quòd sapientiam præstet, & hoc testatur Moyses dicens. Hæc est vestra sapientia (lex scilicet, & præcepta, quæ dederat) & intellectus coram populis, vt audientes vniuersi præcepta hæc dicant. En populus sapiens, & intelligens, gens magna. Quòd lætificet corda, ob bona promissa, de quibus Moyses. & erunt in te signa; atque prodigia, & in semine tuo vsque in sempiternum, eo quod non seruieris domino deo tuo in gaudio, cordisque lætitia propter rerum omnium abundantiam. Quòd illuminet oculos, quia lumen legis naturalis ob peccatum originale obrutum, ac obscuratũ luce legis scriptæ illustratũ fuerit vt per hanc legem rursum Deum, eiusque prouidentiam, ac voluntatem agnoscerem⁹. Quod permaneat insæculũ sæculi, quia moralis (nam Iudicialis, quæ de cõtractibus, s. depositi, mutui, venditionis, fænoris. &c. Itẽ

Exod. 20.
Deuth. 5. & 16.
Exod. 34.
Deuth. 4.
Deut. 28.

de

de pœnis, quæ facinorosis hominibus erant infligendæ, vel propter damna, vel popter delicta, & de similibus rebus forensibus agebat. Ceremonialis itidem, quæ ad sacerdotia, & religionem summi pontificis, & sacerdotum, ac ad iura sacrificiorum spectabat, sunt abrogatæ, quia cum data esset lex ad moderādum populum illum vtentem ceremonijs Christum figurantibus, statu illius populi mutato, & Christo nato, & passo, necesse erat, vt & lex in hac parte cessaret & figura cederet veritati. Et de hac lege intelligenda sunt verba Apostoli. Reprobatio fit præcedentis mandati. Et illa Christi Iesu Lex, & prophetæ vsque ad Ioannem. hoc est, Ceremoniæ, & typi veteris legis vsque ad Ioannem; nam post Ioannem absolutis omnibus, quæ lex figurabat, gratia, & veritas per Christum facta est.) Moralis igitur, quæ erat expositio legis naturæ, ac doctrina virtutum, non solum non fuit abrogata, verùm à Christo fuit confirmata. Vnde dixit. Non veni soluere legem, sed adimplere. hacque vtitur præsens ecclesia, in qua quidem nonnulla sunt, quæ ad consumationem vsque sæculi durant, nonnulla (veluti non habere deos alienos, sed vnum

Hæb. 7.
Luc. 16.
Ioa. 1.

colere Deum, eumque timere) etiam in futuros, ac sempiterno æuo habituri sunt sancti: vnde rectè dixit Dauid. Timor domini sanctus, permanens in seculum seculi. Quòd sit iustificata in semetipsa, hoc dicit, tum ratione præstantiæ legislatoris Dei, vt ostendat huius legis rationem, æquitatemque non aliunde, quàm ex ipso legislatore quærendam; tum ratione sacramentorum in ipsa lege intrinsecus existentium; & ita p hoc verbum. *In semetipsa.* monet nos, vt nō corticem, aut literam legis inspiciamus, sed præscrutemur ea, quæ in eius medullis, ac visceribus hærent: docet præterea, quòd non sola exterior illa legis absolutio, quę erat in ritibus sacrificiorum, in diuersitate hostiarum immolandarum, atque in sacerdotum ministerijs, sed interior legis obseruatio, hoc est ea, quæ latebant interius, quæ erant sacramenta Christi, iustificabant populum illum sacra legis illius custodientē.
Ezech. 20 vnde & dixit in Ezechiele dominus. Ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuent. quia vitam non erant habituri in litera, & operibus legis, hoc est, in ijs, quæ lex describebat extrinsecus, sed in spiritu legis, qui erat Christus, quem in his

sacris

sacris figurantes, quem expectantes, in quem & ipsi credentes, iustificabantur, & viuebant patres nostri. ideo inquit. In semetipsa. & hæc Dauidis verba. *Iustificata in semetipsa.* notanda sunt, cum multæ quæstiones, quæ de lege Mosayca in dubium verti solent, ad quasue tractandas multa ab interpretibus congeruntur, his duobus verbis solui possint. veluti, quòd esset infirma, quòd inperfecta, quòd in fine reprobata, quòd culpa non vacaret, quòd gratiam non conferret, & siqua sunt hoc genus alia: nã vera sunt, quò ad exteriora legis mandata, quæ ad literam iacent, quò autem ad ea, quæ intrinsecus erant, & exteriora illa significabant (hic autem erat Christus, & sacramenta ab eo consũmanda) erat vtilis, perfecta, & in æternum permansura, & gratiam conferens, quia Christus, qui in his figurabatur, credebatur, colebatur, propter eorum fidem, qua ex his ad Christum ferebantur, & propter obedientiam, quæ in his absoluendis Deo prestabant, gratiam conferebat; propterea dicit. Iustificata in semetipsa. pulcherimè vero hæc omnia hoc vno versiculo conclusit propheta.

Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel, & fauum. quia lex hæc ratione illius, qui in ea continebatur, & cuius aduẽtus expectabatur, omnibus, qui sacrorum eius scientiam habebant, optatissima erat. Adhuc dulcis erat ob suaues effectus, quos parturiebat: nam & peccatum ostendebat, & opera sancta imperabat, & infirmitatem nostram nobis indicabat, & ad medicum, qui nos posset sanare, prouocabat, gratiam, & veritatem per Christum largiendam prænunciabat, mores corrigebat, Deum diligere non solum præcipiebat, sed etiam ad eius dilectionẽ multis promissis alliciebat, conscientiam probabat, de voluntate dei cõmonebat, cultum Dei verum, & ritus sacrorum ad Deum spectantium docebat, & ab inani Idolorum religione deterrebat, multa denique alia complectebatur, quibus desiderabilis, dulcisque recte vocari possit.

Etenim seruus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa. Cum de lege ea, quæ nuper audiuimus, disseruisset Dauid, poterat ab eo quæri, vnde hæc

didicisset,

didicisset, & quibus rationibus hæc confirmaret? His occurrens Dauid inquit. *Etenim seruus tuus custodit ea.* quasi dicat, hæc non ex philosophicis disputationibus, sed summa exercitatione libantur, scilicet, si solicitè custodiantur, & perficiantur, quod qui facit (facit autem omnis seruus tuus) quanta suauitate, ac delectatione animos perfundat legis intelligentia, gustat. rursus obijci poterat, si vera sunt omnia, quæ de lege disseruisti, vt omnis, qui in legis exercitatione sese dediderit, arctiori se vitæ addixerit, necesse fuit. At caue, ne eos, teque ipsum decipias, & vigilijs, abstinentijsque frustra te affligas, illum colendo, qui nullam deinde tibi reddat pro tantis obsequijs, & tanta charitate mercedem, ad hæc Dauid. *In custodiendis illis retributio multa.* & nota locum insignem pro meritis operum aduersus eos, qui ea negare non erubescunt.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me domine, & ab alienis parce seruo tuo. Cum multa de lege præclarè disseruerit Dauid, eàmque, quasi inuiolatè seruare, asserere visus fuerit in his verbis.

bis. Etenim seruus tuus custodit ea. Cum autem lex in primis vetet omne peccatum videbatur sibi sumere tantum, atque arrogare, vt omni prorsus uitio carere se existimaret. Quod ne fecisse Prophetam arbitraremur, inquit. *Delicta quis intelligit?* & continuo subiungit. *Ab occultis meis munda me domine, & ab alienis parce seruo tuo.* quasi dicat Dauid. licet legi me, ac quęcunque virum, qui seruus tuus est, parere dixerim, & nullius consummatæ culpæ mihi conscius sim post conciliatam mihi gratiam tuam, non tamen in hoc me iustificatum existimo: & quis enim est, qui quotidianas culpas sigillatim cognoscere, ac deplorare valeat? ecquis est, qui nesciat, quòd si voluerim contendere cum Deo, re-
Iob. 9. spondere ei non potero vnum pro mille? si æquitatem eius iudicij quæram, nemo audebit pro me testimonium dicere, & si iustificare me voluero, os meum condemnabit me. Nam cum discesserimus ab ijs, quæ lex manifestè prohibet (veluti non habebis deos alienos; non facies tibi sculptile; non occides; non mæchaberis; non furtũ facies) multa adhuc sunt, quæ à nobis sciri non possunt. Quis enim ea, quæ ab

occulto

occulto fomite oriuntur, aut per varias cogitationes furtiuè irrepunt in mentes nostras, aut per ignorantiam contrahuntur, percipere potest? sed quam notionem habere poterimus eorum, quæ ab alijs perpetrantur, & eorum nos rei constituimur? circundederunt me mala, quorum non est numerus (inquit in alio loco Dauid) comprehenderunt me iniquitates, & non potui, vt viderem. Cum igitur mihi lateant, quam eorum exomolegesim fàciam? quomodo ea deponam? nisi tu preces meas, quas pro his redimendis habeo in conspectu tuo, clementer exaudieris, & ignotis criminibus veniam dederis? *Ab occultis igitur meis munda me domine, & ab alienis parce seruo tuo.* at pro explicatione præsentis versiculi duo agenda sunt, nempe, quod nam peccatum dicatur alienum, & quot modis à nobis contrahatur. Illud ergo dicitur peccatum alienum, quod ab alijs perpetratur, sed quia culpa nostra, scilicet aut nobis authoribus, aut saltem annuentibus committitur, ideo nobis à domino imputatut. Duobus autem modis præcipue à nobis contrahitur. aut opere, aut consensa. Opere, aut cum malis operibus nostris

Ps. 39.

ansam

ansam alijs peccandi damus. de quibus
Matt. 18. Christus. Væ homini, per quem scandalum
venit. quid comminatio hæc? nonne
quia omnium opera nostra imitantiũ, aut
culpa nostra pereuntium mortis reos nos
facit dominus? equidem; nam & paulò
Matt. 13. superius dixerat idem Christus. Mittet filius
hominis angelos suos, & colligent de
regno eius omnia scandala, & eos, qui faciunt
iniquitatem, & mittent eos in caminum
ignis. Aut cum nos ipsos coniungimus
ijs, qui iniquè operantur, ijsq́ue opē
ferimus. Veluti sunt ij, de quibus in Da-
Ps. 49. uide Deus. Si videbas furem, currebas
cum eo, & cum adulteris portionem tuam
ponebas, & subiungit. Arguam te, & sta-
Tob. 2. tuam contra faciem tuam. & Tobias. Videte,
ne fortè furtiuus sit, reddite eum dominis
suis, quia non licet nobis, aut edere
ex furto aliquid, aut contingere. & Sa-
Prou. 29. lomon. Qui cum fure participat, odit animam
suam. Aut cum ex aliena turpitudine
lucrum nobis paramus. veluti faciunt
lenones. dequibus in Deuteronomio. Nō
Deut. 23. offerés mercedem prostribuli, quia abominatio
est apud dominum Deum tuum. Aut
cum iussu nostro facinus aliquod admittitur.

tur. ſic gentium Reges omnium crudelitatum, quas eorum miniſtrì in ſanctos exercebant, ſacrilegis eorum reſcriptis, impijſque iuſſionibus parentes, conſortes erant. Heſter teſtis. Hunc autem hoſtis noſter eſt, cuius crudelitas redundat in Regem. Alieno autem peccato multipliciter implicamur per conſenſum. Vt autem huius diuiſionis membrum diſtinctius proſequamur, Conſenſum in expreſſum, & tacitum partiemur. Cõſenſus expreſſus alienæ culpæ nos reos facit duobus modis. Primò, cum aut quid impium fieri ſuademus, vel docemus. ſicut mortem Chriſti Iudæi perſuaſit Cayphas. & ſaltatrici filiæ mortem Ioannis Herodias. De huiuſmodi legimus. Apud ipſum (Deum) eſt ſapientia, & fortitudo, & ipſe nouit decipientẽ, & eum, qui decipitur: adducit conſiliarios in ſtultum finem, & iudices in ſtuporẽ. Sic etiam hæretici omnium, quos impijs eorum dogmatibus ad impietatem informant, mortis rei conſtituuntur. De quibus Baſilius. Sic Marcion, & reliqui, qui hæretica dogmata in vitam conſeminauerunt, lædunt, omneſque, qui ex ipſis hinc læduntur, eos, qui malitiæ auſpices fuerunt,

Heſt. 7.
Ioa. 11.
Matt. 14.
Iob. 12.
Baſil. mag in lib. de vera virg. integri.

runt, amarioribus supplicijs etiam olim mortuos illic tradunt. Secundò, cum peccatorem adulamus: Quod fit, aut impietates eius laudando, aut defendendo. de quibus Dauid. Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur. &
Ps. 9.
Ezechiel. Væ, qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas, in gladio, & fame consumentur prophetæ illi. rursus. In prophetis Hierusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendatij, & confortauerunt manus pessimorum, vt non conuerteretur vnusquisque à malitia sua; propterea hæc dicit dominus exercituum ad prophetas. Ecce ego cibabo eos absynthio, & potabo eos felle. Consensu autem tacito aliena culpa fædamur; si proximum aut peccantem, aut in periculo constitutum cernimus, & tacemus. De hoc ad Hester dicit Mardochæus. Ne putes, quòd animam tuam tantũ liberes, quia in domo Regis es præ cunctis Iudæis. si enim nunc silueris (erant enim internicioni dati omnes Iudæi) per aliam occasionem liberabuntur Iudæi, & tu, & domus patris tui peribitis. De illo autem

Ezech. 13
Ezech. 14. & 32.
Hest. 4.

autem dicitur. Clama,ne cesses,quasi tuba
exalta vocem tuã, & annuncia populo meo Hier. 26.
scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. &. Noli subtrahere verbũ vniuersorũ
sermonũ,quos ego mãdaui tibi,vt loquaris
ad omnes ciuitates Iuda. Quia tacendo, &
proximum odisti, & peccatum, quod suum
erat, tuum fecisti. Dicente Moyse. Non
oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum. In hoc taciturnitatis peccatũ incidimus duobus modis. aut non docendo, aut
non corripiendo.& ideo Apostolus. Prædi 2. Tim. 4.
ca verbum, insta opportunè, importunè, Ezech. 3.
argue, obsecra, increpa in omni patientia,
& doctrina: quoniam, si,dicente me ad impium,(dicit dominus) morte morieris, non
annunciaueris ei, neque locutus fueris, vt
auuertatur à via sua impia,& viuat,ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem
autem eius de manu tua requiram. iterum.
Si speculator viderit gladium venientem,& Ezec. 33.
non intonuerit buccina, & populus se non
custodierit, veneritque gladius, & tulerit
ab eis animam, ille quidem in iniquitate sua
captus est, sanguinem autem eius de manu
speculatoris requiram. Correctionem vero

H inter-

intermittimus adhuc duobus modis, aut di
Eccle. 23. ſimulando, aut indulgendo. De vtroque
ſcriptum eſt. Si fruſtrauerit fratrem, delictũ
2. reg. 3. & 4. eius ſuper ipſum erit, & ſi diſſimulauerit, de
linquit dupliciter. ſicut Dauid, qui in nefario ſtupro Amon conniuens peccauit tum in ipſo, tum in Abſalon, qui ſororis iniurias proſequens occidit Amon. Heli autem, quòd nouerat indignè agere filios ſuos, & nimis indulgens non corripuerit eos, ꝓpter peccata filiorum morte mulctatur à Domino. Ab his omnibus nos abſterrens Apo-
Epſ. 5. ſtolus dixit. Nolite communicare operibus
Rom. 1. infructuoſis tenebrarum, magis autem re-
1. Cor. 8. darguite, quia digni ſunt morte, non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt faciẽtibus. & alibi. Sic peccantes fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis. Sed nunquid potuit in his offendiſſe Dauid, vt ideo diceretur. *Ab alienis parce ſeruo tuo.* potuit in multis. Et quidem exemplo adulterij, & homicidij potuit cum multis eſſe ſcandalo, tũ maxime multos ad eadem ſcelera prouocaſſe; quis ignorat, quòd patrem adulterum ſecutus Amon minus fortaſſe timuerit violare Thamar? nunquid; præterea non potuit culpa patris

occu-

occubuiſſe Amon? ſi enim ſtuprũ Thamar non diſſimulaſſet Dauid, ſed (vel quoquo-modo) vindicaſſet, Abſalon fortaſſè placatus fratrem non occidiſſet. Huc etiam ſpectat, quod in alio pſalmo diffuſius egimus, ſcilicet, quod multi videntes prophetam Deo charum, calamitatibus propè infinitis oppreſſum, caſtigationis vero cauſam ignorantes (peccatum .n. diu occultauit) Deum in iudicium vocare, quem & mutabilem, fortaſſe etiam iniuſtum nuncupare, & de Deo multa murmurare potuerant. horum autem omnium peccatorum ipſe particeps erat. non mirum igitur, ſi inquit Dauid. Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo: At vero quia hæc peccata aliena ob filios vel familiares, vel neceſſarios, quod nimis tenerè diligantur, cõtrahuntur, ideo ſubiungit Dauid.

Pſ. 50. in verſ. Tibi ſoli peccaui.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.

Et erunt, vt complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei, in conſpectu tuo ſemper. Et hoc eſt quod dicit Dauid. *Si mei.* filij, familiares, & neceſſarij,

Nō fuerint dominati. vt iniusta committant, & ego ob teneriorem in eos animum dissimulem, quæ committunt. Hæc enim verba, dominari, & imperare, simpliciter prolata, secum afferunt quandā absolutam viuendi, & quæcunquæ faciendi, licentiam; quod ex illis verbis Samuelis ad populum petentem sibi constitui Regem probatur. Hoc
1. Reg. 8.
erit ius (inquit ille) Regis, qui imperaturus est vobis, filios vestros tollet, & ponet in currib⁹ suis, & quæ sequūtur. si mei (inquā) sic non fuerint dominati, tria consequar. Primum, quia vitam viuam ab omni peccato puram, ideo dicit. *Tunc immaculatus ero.* à manifestis, & ab his, quæ à me ipso contrahi possunt, peccatis me, te miserante, adiuuanteque, custodiendo. *Et emundabor à delicto maximo.* mortem inferēte: lætale peccatum nuncupat delictum maximum ad differentiam venialis, quod est minimum, animam non occidens, iuxsta sententiam Augustini. Nolite contemnere venialia, quia minima sunt. hoc autem peccatum est illud, cuius veniam petijt in superiori proximo versiculo, occultū nempe, & alienum, quæ nos morti addicunt æternæ. Heus ergo quāti, facienda hæc peccata aliena, & tamen

quasi

quaſi minima aſpernari videntur; Alterum eſt, quòd laudes, quas de te habebo, veluti puræ, ac ſinceræ erunt tibi gratæ. *Et erũt vt complaceant eloquia oris mei*. Poſtremum, ꝙ ceteris omnibus curis ſolutus, omne tẽpus ætatis meæ ponam in aſſidua tui cogitatione, vt in poſterum corporis quidem in terris, ſpiritus autem conuerſatio tota in cælis ſit. Hinc ſequitur. *Et meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper*.

Domine adiutor meus, & redemptor meus. Adiutor quia poteſt opem ferre, ne regnet peccatum in nobis, nec obediamus concupiſcentijs eius. Redemptor, qui nobis peccata condonare, & redimere in ſanguine ſuo venturus erat, & iam venit. His ſic explicatis ad alteram expoſitionem, ſolennitati nuper præteritæ, Natiuitati nempe Domini noſtri Ieſu Chriſti congruentem deueniamus.

Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.

In hac ſecunda expoſitione memoria retinere debebus, quod ĩ principio ſuperioris expoſitionis tradidimus, quia in hac erunt ſa-

tis neceſſaria, ſcilicet, quòd cœlorum alij ſunt materiales, dequibus in præterita expli catione, alij vero ſpirituales. Hi autem in tres ſpecies ſecantur; alij enim ſunt rationa les (iuſti) alij intellectuales(Angeli)tertium ſuperſubſtantiale, & eſt ſumma, & adoran da Diuinitas, Pater,& Filius,& ſpiritus ſan ctus. Dauid hic nomine celorum, & firma menti Apoſtolos nuncupat ob ſummã, quã ad vtrunque habent,ſimilitudinem,quæ eorum teſtatur excellentiam. Siquidem cœli claritate, latitudine, & altitudine præſtantiſſimi ſunt; vaſtiſſimo enim eorũ complexu omnia continẽt, & in ſublimi poſiti ſunt & luce ſua omnia luſtrant: quis etiam locus orbis extitit, qui Apoſtolorum doctrinæ non fuerit lumine illuſtratus? In omnem terram exiuit ſonus eorum,& in fines orbis terræ verba eorum. Quis etiam hominum fuit, quem immenſa eorum charitas complexa non fuerit? hæc ſumma doctrinæ eorum. Ea autem erat ipſorum altitudo, vt conuerſatio eorum tota in cœlis eſſet. eſt quoque alia inter cœlos, & Apoſtolos ſimilitudo maxima, Cœli enim motu perpetuo mouentur, eorumque motus rerũ omnium generabilium principium eſt, & fundamen-

damentum. Apostoli quoque motu perpetuo orbem totum peragrarunt, quorum peregrinationem ecclesiæ Dei principium fundamentumque fuisse quis nesciat? secundum gratiam, (inquit Apostolus) quæ data est mihi, fundamentum posui, alius autem superædificat. Et Christus. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. agunt prætere a cœli in hæc inferiora singuli suas potestates, quæ influentia est causa omnis corruptionis, & generationis: ita est Apostoli virtutē suam in eos exercentes à Dæmonibus vexatos liberabant, mortuos ad vitam reuocabant, & omni morborum genere laborantes reddebant incolumes, omnes (quantū in ipsis erat) ad christianam religionē informabant, gratijs spiritus sancti ditabant, ministeria Christi dispensabant; quibus sacris, ac portentosis operibus destruebatur in nobis corpus peccati (ecce corruptio) & noua efficebamur in Christo creatura per lauacrū regenerationis, & renouationis spiritus sancti, (& ecce generatio). Eos secundo loco vocat firmamentum; illud autem dicitur firmamentum, quod robur, & stabilitatem habet. Hinc omne illud, in quo alicuius rei

1. Cor. 3.

Matt. 16.

uis maior consistit, hoc nomen sibi vsurpare consueuit non solum apud sacros, sed ethnycos etiam authores, vnde à Cicerone fides vocatur amicitiæ firmamentum, & testis grauissimus firmamentum accusationis, & defensor patriæ acerrimus firmamentum republicæ. Dauid quoque noster, qui omnia sua Deo accepta referebat, Deum dixit firmamentum suum; & perpetuitatem malorum plagã firmamentum; & abundantiã rerum panis firmamentũ: In hoc loco Apostolos nuncupat firmamẽtum ob virtutem illam, qua post Christi ascensionem ita firmati sunt, vt neque minis principum, neq; tormentis carnificum, neque horrore, aut pedore carcerum à denunciatione nominis Christi possent deterreri, quin potius ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati. Dicuntur etiam firmamentum, quòd fuerint religionis nostræ fundamenta firmissima, sicut ab Apostolo, Ecclesia dicitur columna, & firmamentum veritatis; rursus dicuntur firmamentum ob similitudinẽ, quã habent eum illo firmamento, q Deus vocauit cœlum, posuitq; inter superiores & inferiores aquas, in quo etiã posuit solẽ, & stellas

Cicero de amici.
Idem pro Musena.
Psal. 17.
Psal. 22.
Psal. 71.
1. Tim. 3.

ſtellas de quo dixit Moyſes. Dixitq; Deus. fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Quod Deus fecit creando cœlum, & terrã, fecit Chriſtus fundãdo eccleſiam ſuam. Duodecim enim ſibi elegit viros, eoſque ſtatuit, quaſi firmamentum in medio aquarum, (omnium gẽtium) vt diuiderent (data ipſis clauium authoritate) aquas ab aquis, (iuſtos à reprobis) ſtellis ornauit firmamentum, & ſolem poſuit in eo: Ita verus ſol iuſtitiæ Chriſtus dictus eſt habitare per fidem in cordibus eorũ, quos etiam ornauit chariſmatibus ſapientiæ, ſciẽtiæ, fidei, ſanitatum, operationum, virtutũ, prophetiæ, linguarum, curationum, quibus gratijs quaſi fulgentiſſimis ſtellis colluſtrabant; hi cœli. *Enarrant gloriam Dei.* nempe æternam eius generationem, & illam, quæ eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem, natiuitatẽ, nec non magna ſigna, miraque prodigia, quæ in carne geſſit ante paſſionem; vnde & ſubijcit, & opera manum eius annunciat firmamentum. Et propterea ad hunc annectit ſequentem verſiculum, qui huius ſingulis partibus reſpondet, ipſumque declarat, & inquit.

Matt. 16. & 18.

Ioã. 10.

1. Cor. 12

Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Apostoli quatenus erant cœli, sapientia fulgentes, & gloriam Dei enarrantes, eructabant verbum, idest, prædicabant Diuinitatem Christi, secundũ quam dicitur, & est verbum patris æternũ, & quia altissimus est sermo de Diuinitate Christi, ideo non ad omnes, sed ad eos tantùm, quorum ingenij magnitudo eorum verba sustinere poterat, hunc sermonem habebant, & hoc est, quod inquit Dauid. *Dies diei eructat verbum.* Diem vocat Apostolos à claritate sapientiæ; hi eructabant sermonibus suis verbũ, diuinitatem, & essentiam filij, qui erat in principio apud Deum; cui? Diei. ijs, quos tali ingẽio præditos agnoscebant, vt diuinarum rerum disciplinam in animis eorum insculpere posse arbitrarentur.
1. Cor. 2. hinc Apostolus. Sapiẽtiam loquimur inter perfectos. Quatenus vero erant firmamentum, opera eius, quæ gessit in carne, denunciantes, indicabant Christum hominem, & in animis omnium opera, & mysteria ad humanitatem eius spectantia informare studebant, vt sic ad eiusdem diuinitatis notionem eos paulatim perducerent. hinc inquit. *Et*

nox

nox nocti indicat scientiam. Noctem appellat Apostolos, quando sublimitatem scientiæ ad popularem intelligentiam accomodabãt & rudia rudibus loquebantur. Sicut scriptũ est. Sapientibus, & insipientibus debitor sũ. nox igitur nocti, idest, rudibus, & indoctis indicat scientiam, non supereminentem, sed ad salutem tantùm necessariam, quam alibi nuncupat Apostulus, elementa exordij sermonum Dei. qualis est materia, quam continet symbolum: quod Apostolum fecisse addiscimus ex his verbis. Non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam, perfectorum enim est solidus cibus. et nota, quod secunda pars huius versiculi ad secundam præcedentis, in qua Apostolos vocat firmamentũ recte refertur, quia tunc maxime firmã virtute, & summa constantia eis opus erat, quã do ad Diuinitatis Christi cognitionem per ea, quæ gesserat in carne, gentes perducere, & quem solum hominem credebãt, Deum asserere studebant: hanc enim ob causam quotidie cædebantur, in custodias tradeban tur, & necibus afficiebantur Apostoli. Præterea non sine causa primam huius versiculi par-

Rom. 1.
Hæb. 5.
1. Cor. 3.
Hæb. 5.

li partem. *Dies diei eructat verbũ.* Ad diuinitatem Christi, secundum vero ad ejus humanitatem refero, si quidem rerum diuinarum cognitio propriè sapientia nũcupatur, humanarum vero scientiæ nomen obtineat.

lib. sent. 3 dist. 35. 6.

Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exiuit sonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum. Cum Christus delegisset Apostolos ad singularẽ illam legationem, in qua omnes gẽtes, quæ sub cælo sunt, legem ab ipso promulgandã docerentur, cum autem cerneret idiomata linguarum innumerabilia, sciretque verba neminem mouere, nisi eum, qui eiusdem linguæ societate coniunctus est, siquidem in his linguis, quas non intelligimus, surdi sumus. (dicente in Exechiele Domino. Neq; enim ad populos multos mitteris profundi sermonis, & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones. & in alio loco. Venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocẽ proximi sui) dedit eis in linguis igneis spiritum sanctum, quo accepto, omnium linguis locuti sunt, vt iam nulla extra natio, nulla

Ezech. 3. Gen. 11.

nulla gens barbara ſibi inacceſſa videretur ſed omnes & Parthi, & Medi, & Elamitæ, Act. 2. & qui habitant Meſopotamiam, Iudæam, & Capadociam, Pontum, & Aſiam, Phrygiam & Pamphyliam, Aegyptũ. & partes Lybiæ, quæ eſt circa Cyrenem, & aduenæ Romani, Iudæi quoque, & proſelyti, cretes, & Arabes linguam, in qua nati eſſent, ſumma cum admiratione audirent, ideo inquit Dauid. *Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiãtur voces eorũ.* Loquelas, ſi uis, referre, potes ad idiomata linguarum, ſermones ad ſubtiliores diſputationes, iuxta illud Apoſtoli. dequo nobis grandis eſt ſermo, & interpretabilis ad dicendum. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Hæb. 5. Nam Orientẽ Thomas, & Bartholomæus, Meridiem Simon, & Matthæus, Septentrionem Philippus, & Thadæus, Medium mũdi Matthæus, & Iacobus Iuſtus, Mediterranei maris prouincias Ioannes, & Andreas, Occidentem Petrus, & Iacobus luſtrarunt, Toto orbi euangelizauit Paulus; et ita in omnẽ terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. vt inexcuſabilis ſit omnis, qui non credit in eum.

In ſo-

In Sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo,

Exultauit, vt gigas, ad currendam viam, à summo cœlo egreßio eius,

Et occursus eius vsque ad summum eius, nec est, qui se abscondat à calore eius.

Explicat propheta, qualis sonus, & quæ fuerint verba Apostolorum, hoc est, quid in omnes orbis plagas profecti euangelizauerit; euangelizauerunt autem Christum Deum, & hominem, & legē eius legem perfectam & primo omnium Christum prædicabant hominem, quùm dicebant. *In sole posuit tabernaculum suum.* quis? ille, cuius gloriam, miraque opera prædicamus. *Posuit in Sole.* In manifesto, in oculis omnium (est enim usus iste loquendi sacræ scripturæ familiaris, vt in sole id fieri dicat, quod fit manifestò: sic enim in alio loco legimus, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis solis huius; &
2.Reg.12 Tu fecisti absconditò, ego faciam in cōspectu solis huius.) quid? nunquid seipsum in propria diuinitate, quæ ab omnibus videri, & percipi possit? non, sed. *Tabernaculum suū.*

Corpus,

Corpus, quod de sancta Virgine assumpsit; & in quo corporaliter habitauit ipsa Diuinitas: in humana igitur, & creata natura omnibus præsentiā suā declarauit, manifestauitque, vt oracula illa perfecta esse gaudeat vniuersus orbis. Ecce ille ipse, qui loquebatur, aduenit, & in terris visus est, & cum hominibus conuersatus. Aut dicemus. *In sole.* in Virgine Maria, (de qua illud cãticorum canit Ecclesia. quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa vt sol?) sic nuncupata ob multas solis proprietates, quæ Mariæ mirificè congruunt. Quarum prima est, quòd Sol diem ducens ab altiori parte cæli oritur; & Virgo Maria ex altissima Dauidis progenie originem ducit. Secunda est, quod sol, cum exorsus est, tanto micat splendore, vt obscuratis cæteris syderibus, solus appareat, et qui sunt sancti, quæ Virgines, qui Angeli, quibus nõ lõgissimè præstet hæc inclyta Virgo? Tertia, sol omnium astrorum tenet principatum; & sanctissima Virgo Maria dicitur Regina Angelorum, quæ sunt Astra Dei matutina. Quarta, sol ĩter sydera errantia interiectus est, tria enim supra, & tria infra se sunt; & hæc præclara Virgo media est inter Sanctissima

Esa. 52.
Bar. 3.
Cant. 6.
Iob. 38.
Esa. 14.

ſimā Trinitatem, & angelicas Hierarchias. Quòd infra Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum ſit, ratio ſuadet, quia nulla creatura Deo exæquari debet; quòd ſupra tres Angelorum Hierarchias ſit, Eccleſiæ authoritate probatur, quæ in eius aſſumptione canit. Exaltata eſt ſancta Dei genetrix ſuper choros Angelorum ad cœleſtia regna. Cuius etiam ſententiæ adſtipulatores ſunt D. Bernardus, & S. Bonauentura. Hic ſcribens. Secundum humanam naturam dicitur (Chriſtus) ſedere à dextris, quia in potentioribus bonis patris, vnde in Empyreo cæteros excellit tam Angelos, quam homines, & loco & dignitate; poſt ipſum credimus Beatam Virginem ſuper omnes alios, deinde cæteri ordinantur ſecundum dignitatem ipſorum. Ille vero. alioquin nihil magnum dixiſſe videbitur, vt ſit luna iſta ſub pedibus eius (Mariæ) quā ſuper oēs Angelorū choros, ſuper cherubin quoque, & ſeraphin exaltatā nephas eſt dubitare. Quinta eſt, quòd ferunt ſolem non eſſe ex contrarijs partibus concretum, aut compoſitum, ſed in eſſentia ſua ſummam habere ſimplicitatem, proptereaque perpetuam habere in eadem ſubſtantia permanentiam, & incorruptibilitatem; & de ſimpli-

S. Bon. in 2. ſent. diſt. 2. q. 3. ſuper his verbis. Aſcendā in cælum.

D. Bernar in ſermo. de Vir. Mar. ſup ver. Apoca. Signū magnum apparuit ī cælo.

ſimplicitate, puritateq; Sanctiſſimæ Virginis legimus. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. ideo etiam ſanctiſſimum eius corpus nō vidiſſe corruptionem & legimus, & piè credimus; ſed immaculatum, & incorruptum ſeruatum (vt inquit Damaſcenus) ante communem, & vniuerſalem reſurrectionem translatione ab eo fuiſſe honoratum, cui placuit ex ea carnē ſumere, hominem fieri, & naſci, cum eſſet Deus, & dominus gloriæ, quiq; poſt partum eius incorruptam ſeruauit Virginitatem. & quomodo corruptio inuaderet corpus illud, in quo vita ſuſcepta eſt? Sexta, Sol omnibus aſtris longè excellit virtute, radijs enim ſuis pellit aerem peſtilentem; & Maria aereas fugat poteſtates, quibus formidabilis eſt. Septima, ſol ſex illa ſydera, quibus interiectus eſt, inter ſe conciliat in ſuis effectibus, & Maria Deo conciliat peccatores, vnde & dicitur, Arca fœderis. Octaua, ex motu ſolis calor efficitur in obiecti corporis ſuperficie, omnibus his inferioribus fœcunditas datur; & luce ſua omnium rerum colores diſcernuntur; Ita huius præclaræ Virginis precibus omnes ad eam confugientes ardore charitatis Cant. 4.

æternæ conflagrant (hinc dicitur Mater pulchræ dilectionis) bonis operibus abundant, quia ipsius intercessione diuino timore replentur, & qui timet Deum, faciet bona. (hinc dicitur Mater timoris) à vitijs virtutes discernunt, (& dicitur Mater agnitionis) In hoc igitur sole. *Posuit tabernaculum.* corpus, quod ex ea sibi formauit. Cæterũ quia in hac inenodabili copulatione naturarum, diuinæ scilicet, & humanæ, quæ in sacratissimo Virginis vtero, quasi thalamo, effecta est, absolutum est illud magnũ coniugij sacramentum inter Deum, & hominem, inter Christum, & Ecclesiam, ꝙ futurum promittens Deus dixit. & erunt duo in carne vna. ideo statim subijcit Dauid. *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit, vt gigas, ad currendam viam.* ipse, is, qui posuit in sole tabernaculum suũ. *Tanquam sponsus.* humana natura de Virginis carne formata, & in vnitate personæ sibi inseparabiliter copulata, & sic carnem nostram cum anima rationali habens, processit. *De thalamo suo.* de virginali vtero, quẽ tanti coniugij thalamum sibi delegerat; processit, quia in illo verbum Deus sese cõclusit, & statuto tempore ex illo natus est

Gen. 2.

Deus,

Deus, & homo. *Exultauit.* ex alijs ſacræ paginæ authoritatibus addiſcimus, quòd dei filius non inuitus, ſed voluntarius & carnem induit, & mortem ſubijt, veluti cum ipſe in Propheta noſtro ait. Dixi, ecce venio. in capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui. & alibi. Oblatus eſt, quia ipſe voluit. at ex hoc loco addiſcimus, quòd non ſolũ voluntarius, ſed (quod maioris charitatis argumentum eſt) lætus, & exultans Patris voluntatem perfecit. *Vt gigas.* qualis, & quantus fuerit iſte gigas, deſcribitur à Salomone in his verbis. Cum quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus domine de cælo à regalibus ſedibus durus debellator in mediam exterminij terram proſiliuit, gladius acutus, inſimulatum imperium ſuum portans, & ſtans repleuit omnia morte, & vſque ad cælum attingebat ſtans in terra. quod de Chriſto dictum eſſe non hæſitabimus, ſi præter graue teſtimonium Eccleſiæ, quæ natiuitatem eius celebrando hunc locum vſurpat, veteribus noua contulerimus. inquit igitur Salomon. Dum quietum ſilentium contineret

Psal. 39.
Esa. 53.
Sap. 18.
In domi. infra octaua natiui.

ret omnia,& nox in suo cursu medium iter
Luc.2. haberet. & Lucas ait. Quòd, dum Maria
peperit filium suum primogenitum,pasto-
res erant in regione eadem vigilantes, &
custodientes vigilias noctis super gregem
Ioa.1. suum. Omnipotens sermo tuus. Verbum,
quod erat apud Deum,per quem omnia fa
Ioa. 16. cta sunt. Exiliens de cælo. qui exiuit à Pa-
Ioa.1. tre. A regalibus sedibus. à sinu patris, in
quo erat. Durus debellator. qui fortem ar-
Luc.11. matum vicit,& omnia eius spolià abstulit.
Ioa.5. In mediam exterminij terram prosiliuit.
Venit in mundum, sic enim inquit ipse.
exiui à patre,& veni in mundum,quem vo
cat exterminij terram, quia totus erat in
maligno positus, & in ditionem Diaboli
redactus; quem propterea sæpius princi-
Ioa.12.14 & 16. pem, & rectorem huius mundi nuncupa-
Efesos. 5. runt Christus, & eius præco apostolus.
Diabolo autem, inquit Ioannes, est nomē
Apoc.9. hæbraice Abaddon, græcè Appollonion,
& latinè exterminans. Gladius acutus.
Sermo enim dei viuus, & efficax, & pene-
Matth. 10 trabilior omni gladio ancipiti, non modo
extrinsecè separans hominē aduersus Pa-
trem suum,& filiam aduersus matrem suā,
& nurum aduersus socrum, sed pertingens
etiam

etiam vſque ad diuiſionem animæ,& ſpiri- Hæb.4.
tus . Inſimulatum imperium portans. quia
imperium eius imperium verum, & ſempi 1.Tim.6.
ternum, & ſuper humerum eius. Stans.vi- Eſa.9.
riliter agens , poſuit enim animam ſuam
pro ouibus ſuis , & ob hanc cauſam inquit
Ioannes uidiſſe Agnum ſtantem,licet occi
ſum . Repleuit omnia morte.quia per mor- Ioa.10.
tem ſuam inſtaurauit omnia,quæ in cælis ,
& quæ in terra ſunt; vel quia deſtruxit Apoc.5.
corpus peccati , inimicam mortem , eum , Col.1.
qui habebat mortis imperiũ, vt nos bapti-
zati in ipſo, & mortui peccato in nouitate Eph.1.
vitæ ambularemus . Et vſque ad Cœlũ at- Rom.6.
tingebat ſtans in terra(ecce quantus fuerit
iſte gigas)quia cum eſſet homo,cum homi 1.Cor.15
nibus amantiſſimè viuens à cœlis tamen
nunquam receſſerat . Quod atteſtans ipſe Hæb.2.
dicebat. Nemo aſcendit in cœlum,niſi qui Ioa.3.
deſcendit de cælo,filius hominis,qui eſt in
cœlo. Hinc decreuit Romana Synodus . Si Syno.Ro.
quis dixerit , quod incarne conſtitutus fi- ſub Dam.
lius Dei, cum eſſet in terra , in cœlis cũ pa Papa.
tre non erat, Anathema ſit. *Ad currendam viam*. humanitatis, & omnium,quæ in hu-
manitate ſuſtinere debebat,laborum,dolo
rum,& mortis:de qua Salomõ dixit, quòd

exiliens de cœlo, in mediam exterminij terram prosiliuit, & impleuit omnia morte, scilicet sua. *A summo cælo egressio eius.* Secundo loco prædicabāt Cristum Deum dicentes. A summo cœlo egressio eius. ab Empyreo cœlo, quod ideo fortasse dicitur summū, quòd cæteris altius, & sublimius sit. *Egressio eius.* Christi, quē prædicamus: vel cœlū hic pro supersubstātiali sumamus, & dicamus: *A summo cælo.* à sinu, ab æternitate ab æqualitate Patris. *Egressio eius.* Generatio Christi, quem nunc etiā hominē factū ex Maria Virgine annunciamus; quod clarius exprimētes Michæas, & Abacuc dixe-
Mich. 6. runt. Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio à
Aba. 3. dieb⁹ æternitatis. Incuruati sunt colles mūdi ab itineribus æternitatis eius. & clarissimè explicauit ipsemet Christus Dominus, cum dixit: Exiui à patre, & veni in mundū, & quod subiecit in eodem loco. & iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. idē est, quod in hoc loco ait Propheta. *Et occursus eius vsque ad summum eius.* Et quia sublat⁹ in cœlum Christus dedit discipulis suis spiritum sanctum, ideo statim inquit. *Nec est, qui se abscondat à calore eius.* Calor iste est Spi

ritus

ritus santus, quem post ascensionem suam Apostolis dedit; dicit. *Eius*. Quòd ab ipso procedat: quòd autem inquit. *Nec est, qui se abscondat*. Perpulcrè declarat Cyprianus, cuius ego, ne plura dicerem, verba subieci. inquit igitur ille. Cuius (Spiritus sancti) viuificus calor animat omnia, & fouet, & prouehit, & fœcundat: Hic spiritus sanctus omnium viuentium anima, ita largitate sua se omnibus abundanter infundit, vt habeant omnia rationabilia, & irrationabilia secundum genus sum ex eo, quòd sunt, quod in suo ordine suæ naturæ cōpetentia agunt Non quòd ipse sit substantialis anima singulis, sed in se singulariter manēs de plenitudine sua distributor magnific⁹, proprias efficientias singulis diuidit, & largitur, & quasi sol omnia calefaciens subiecta omnia nutrit, & absque ulla sui diminutione integritatem suam de inexhausta abundātia, quod satis est, & sufficit, omnibus commodat, & impartit. Hæc ille. ex his autem notandū est, quàm iusto Anathemate percutiātur Hæbion, Photinus, & Cherintus, qui Christum Dominum ante Mariam nō fuisse, sed ex ipsa initium sumpsisse, asserebant, quorum doctrina quàm falsa, quàm

Cypri. in li. de Car. opi. Christi cap. vI.

impia, q̃ impudica ſit ex his verbis addiſcimus, quòd à ſummo cœlo egreſſio eius, ex his etiam verbis: *A ſummo cœlo egreſſio eius, nec eſt, qui ſe abſcondat à calore eius.* adnotari poteſt ſantiſſima Trinitas. Pater, dum dicit. *A ſummo cœlo.* Nam ſi egreſſio eius, ſcilicet filij, eſt à ſummo cœlo, vtique ab alio, quã à ſe ipſo, quia ſe ipſum nemo generare poteſt, ſed ab alio generetur, neceſſe eſt. Fili⁹, dum ait. *Egreſſio eius.* Et Spiritus ſanctus, dum inquit. *A calore eius.* Notare adhuc poſſumus, quòd filius non à Spiritu Sancto, ſed à Patre genitus eſt, dum dicit, à ſummo cœlo. & quod Spirit⁹ Sanct⁹ ſicut à Patre, ita & à filio procedit, dũ dicit. à calore ei⁹. ſcilicet filij; de filio enim vtique loquitur.

Lex Domini immaculata, conuertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis.

Iuſtitiæ domini rectæ, lætificantes corda, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Timor Domini ſanctus, permanens in ſeculum ſeculi, Iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa.

Deſide-

Desiderabilia super aurum; & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel, & fauum. Cum ad cognitionem Dei nos perducere studerent Apostoli, & cognitionem eius habere non possimus, nisi legem, & mandata eius seruemus. dicente Ioanne. qui dicit se nosce Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & veritas in eo non est. Ideo necesse erat legem, & mandata Christi promulgare. At quia legis est, non solum malos à delicto pœnis auuocare, & bonos ad iustitiam præmijs inuitare, sed etiam aliquid persuadere, & multos ad obseruantiam allicere gratia sui; scilicet quòd iusta sit, & sancta, & perfecta; propterea boni Authores, ijdemque grauissimi priusquam legem ipsam recitarent, de eiusdem legis laude dicere consueuerunt; quod fecisse Zaleucum, & Charundam, & Platonem refert Cicero, quos etiam imitatus est ipse in ijs libris, quos de legibus inscripsit. Hinc Apostoli ab authore omnis scientiæ Spiritu sancto edocti, legem Christi veris, & proprijs eius laudibus commendant antea, quã promulgent, vt miris eius effectibus, perfectionibusque omnes ad eam suscipiendam inui-

1. Ioa. 2.

lib. de lege. 2.

inuitent, atque allectent; cum præsertim sit legis diuinæ omnia persuadere potius, quàm minis cogere. & inquiut: *Lex Domini immaculata, conuertens animas.* Cum Christi præcepta iubeant iusta, vetentque contraria, rectè dicuntur. Lex. vt autem sciremus hanc legem non hominum ingenijs excogitatam, sed ab illa mente diuina, cuius proprium est imperare, & prohibere, & vniuersũ mundum regere, profectam, hancque ob tãtam dignitatem toto pectore suscipiendam, subijcit. *Domini.* Hæc lex cum primum omniũ prohibeat omne vitium, nosque castè iubeat adire ad Deum, castè (inquam) & animo, & corpore, idcirco inquit, quòd est. *Immaculata.* Affert præterea religionem illam, quæ veri & viui Dei cultu pio continetur; fuerat siquidẽ vis tanta peccati, vt notitia veri Dei obliterata, alij in Deorum inanium opinionem turpissimè lapsi fuerint, alij scelerum impunitatem cernentes, nullam esse prouidentiam existimauerint, & proinde Deum esse negauerint, nonnulli vero (vt hebræi) vnius Dei notionem habuerint, sed corticẽ legis tantùm aspicientes ad eam inscitiam deuenerint, vt suis viribus, nõ diuinæ gratiæ tribuerint, quòd iusti essent; quos redarguère Chri-

re Christus,& Apostolus. hic ad Romanos scribens. Ignorantes iustitiam Dei,& suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Ille vero sub parabola Publicani,& Pharisæi. Ab his errorum tenebris cũ nos vocet in veram Dei notitiam lex Christi, ideo tertio loco inquit Propheta. *Conuertens.* Et licet totum hominem ad Deum cõuertat, speciatim tamen dicit. *Animas.* Quia Christus hominem à tantæ præuaricationis casu releuauit ꝑ reformationẽ animæ, quæ etiam cecidit, dum suis inconsultè vtitur bonis: nam memoria, ratione, & voluntate affecta fuerat, vt memoria creatori suo, præceptisque, & promissis sibi factis semper inhæreret: ratione, vt quid sibi faciendum, fugiendumue esset, discerneret, ꝙ vtique fecisset, si in cognitione sui,& Dei perstitisset: voluntate, vt eius, cui tantum debebat, imperium nõ recusaret, & monita salutaria sequeretur; sed misera labitur, & tantam cœcitatem offendit, vt non solum meritæ creatori suo gratiæ, sed ipsius quoque creatoris memoriã amiserit, & ipsum esse negauerit, sui quoque oblita, & iudicio proprio decepta proprijs viribus tribuerit, quod ad Deũ referre debebat: hinc in deteriores affectiones

Rom. 10.

Luc. 18.

nes commutata terrena pro cœlestibus con cupiuit,& tota perijt, huiusque casus nō solū sibi,sed etiam corpori mortē attulit. Ipsa igitur,quæ & sui,& corporis interitus causa fuerat,erigenda erat,& ideo venit Christus, qui tres istas animæ potentias, ac proinde ipsam animam restituere volens, legem suā tria, Fidem, Spem, & Charitatem summatim complectentem instituit, & per fidem reformauit memoriam bonorum, à quibus lapsi fueramus, per spem intelligentiam futurorum, ad quæ tendimus, per charitatem denique voluntatem, qua Deum diligam⁹. Anima vero in pristinum statum restituta, restitutus est totus homo, qui ab anima regitur, & moderatur. Vel dicit. *Animas.* Ad differentiam legis Mosaycæ,quæ in operib⁹ externis totum hominem occupabat, vnde & lex factorum dicitur, quòd cultus,& obseruantia eius nō sit ex fide,sed ex operib⁹. Gal.3. sicut scriptū est. Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea,viuet in illis.hinc & cœremoniæ,& purificationes, & circuncisio carnales erant, præmia quoquæ, & supplicia proponebat temporalia: Verum lex euangelica licet opera,animum tamen in primis, & Hier. 3. affectum requirit. Vnde hanc legem polli-

cendo

cendo Deus dixit per Hieremiam. Dabo legem meam in cor illorum, & in mente eorum scribam eam. Et hanc differentiam secutus Apostolus dixit ad Corinthios. Epistola estis Christi ministrata à nobis, & scripta non attratamento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. hanc ob causam dixit etiã Christus, quòd tales quærit Pater, qui adorent eum in spiritu, & veritate. hinc lex spiritus dicitur, quòd requirat, & conferat credere & viuere in Christo, & circuncisionem cordis præcipit, & præmia eius, suppliciaque sunt æterna. Propterea inquit. *Conuertes animas.* Præterea lex ista de remissione peccatorum per Christum, de summa Dei erga nos dilectione, de Sacramẽto volũtatis gratiæ suæ, in qua redẽmit nos in filio suo, gratisque per fidem iustificauit, ac simul spiritum sanctũ cordibus nostris infudit, qui testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei, ac denique de vita æterna nos certiores facit, ideo illam appellat. *Testimonium.* Quod cum nullus, nisi dono Dei, possideat (sic enim inquit Apostolus, Ministeriũ hoc fuisse absconditum à seculis, & generationibus, nunc autem manifestum esse san

2. Cor. 3.

Ioa. 4.

Rom. 3.

Col. 1.

ctis

ctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ sacramenti huius in gentib⁹) ppterea ait. *Domini.* Quibus in rebus cũ nemo fraudetur,ait.*Fidele.* Et subijcit. *Sapientiã præstans paruulis.*Humilibus, quia per cognitionem dilectionis, voluntatis, & Gratiæ Dei, ac per donum Spiritus sancti cœlestiũ secretorũ, de quibus dicitur esse sapientia, participes efficimur. Adhuc,cum hæc Christi lex iustos faciat eam suscipientes, hæcq; iustitia nobis infundatur à Deo per Christi merita, nuncupat etiam illam. *Iustitiæ domini.* Aliam quoque ob causam dixit.*Domini.*
Esa. 56. Nempe vt nostram excludat, quæ est velut pannus menstruatæ;ideo, vt verè iusti nominemur, & simus, hac Dei iustitia donemur,
Cõc. trid. sess. 6. ca. 7. necesse est: qua cũ spiritu mentis nostræ renouemur, & ad eã rectitudinem, à qua per peccatũ lapsi eramus, iterũ erigamur,dicit *Recta.*Et licet hæc dei iustitia una sit,quæ iustitiæ nostræ ĩhærẽdo facit, vt iustitia nostra ab illa formã,& virtutẽ assumens verè iusta sit, & Deo grata, tamen ob multiplices, & varios harũ causarum effectus,quibus,quasi instrumentis,reformamur ad Deum,& iusti
Cõc. trid. cita. sess. cap. 8. efficimur,eam pluraliter nuncupat.*Iustitiæ domini.* Si quidem reformamur ad Deum per

fidem

fidem in Baptiſmo, & quidem gratis. quòd ſi labimur, iterum per pœnitẽtiam, quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitẽtes cõfugimus, reformamur, & amiſsã aſſequimur iuſtitiam, ſed non ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus, diuina id exigente iuſtitia. quòd ſi deinceps acceptam iuſtitiam cõſtanter tuemur, & euntes de virtute in virtutem membra carnis noſtræ mortificamus, eamque exhibemus arma iuſtitiæ in ſanctificationem per obſeruationem mandatorum Dei, & Eccleſiæ, indies magis augetur; & creſcit iuſtitia noſtra, dicente Apoſtolo Iacobo. Videtis, quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm. Vel dicit. *Iuſtitiæ domini.* Quia licet vna ſit, ſi eam conſideremus in vnico eius fonte, à quo emanat, qui eſt Deus vnus, tamen cum nobis, quaſi riuulis ex ipſo fonte manantibus donatur, & nobis inhæret, plures videntur, quia iuſtitiam in nobis recipimus vnuſquiſque noſtram ſecundum menſuram, quam ſpiritus ſanctus partitur ſingulis, prout vult, & ſecundum propriam cuiuſque diſpoſitionem, & cooperationem. Cæterum quia, qui per merita Chriſti Ieſu à Deo ipſis cõmunicata ſic iuſtificantur, de maledicto legis

Cõc. trid. ſeſſ. 14. c. 2.

Iac. 2.

Rom. 12. Epſ. 4. Cõc. trid. ſeſſ. 6. cap. 7.

gis

gis liberantur, signanturque spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, et erepti de potestate tenebrarum transferuntur in regnum filij dilectionis suæ, in quo habent redemptionem, & remissionem peccatorum, propterea iure merito ait. *Lætificantes corda*. Quid enim eo nuntio lætius, quo annunciatur per fidem in Christum gratis peccata nobis condonari, solui inimicitias inter Deum, & hominem, donari nobis spiritum sanctũ nos innouantem, & denique uitam æternam? & quia lex ista complectitur nonnulla præcepta, vt iustificati per obseruationem eorum, quasi de virtute in virtutem euntes in accepta iustitia crescant, atque in dies magis iustificentur (qui iustus est, iustificetur adhuc, dixit Ioannes: & iterum. ne verearis vsque ad mortem iustificari) eam quoque nuncupat. *Præceptum domini*. Illa quasi vnũ singulariter nominans, quia omnia in vno, quod est dilectionis præceptum, absoluuntur. in quo dando, quia non amplius per Moysen, qui ponat velamen super faciẽ suam, sub ænygmatibus, & figuris abditur voluntas Dei, sed per verbum ipsius quàm clarissimè exprimitur, gratiaque, quæ in veteri testamento ve

lata

lata latitabat, in hac lege reuelatur, ideo dicit. *Lucidum.* & cum hæc præcepta sic imprimant in anima nostra Dei voluntatem, vt cogniscibili intelligentia sciamus, quid à nobis expetat Deus, hinc ait. *Illuminãs occulos.* mentis, vt non amplius ad carnalia, sed spiritualia animũ intendamus, & ea expectemus. & quia cum in cœlestem patriam mentem nostram intentam habere, & summam eius felicitatem, quoquo modo possumus, gustare, & in delicijs eius delectari cæperimus, tunc Deũ maxime timere addiscimus non timore illo, quo formidine pœne, sed quo virtutis amore Deũ propter se ipsum timemus, & amamus, & quia qui hoc timore contremiscit, perfectam habet charitatem, quæ non est aliud, q̃ perfecta iustitia, & sanctitas, ideo sequitur. *Timor domini sanctus.* Quòd sic timẽtes Deum puros, castos, Deo segregatos, peccatis mortuos, mundo crucifixos, carne mortificatos, & diuinæ voluntati penitus addictos, ac consecratos faciat. qui sanctus, & castus timor, quoniam hic incipit, & in patria perficitur, in qua Deum perfectissimè venerando timebimus, & timẽdo venerabimur, ideo subiũgit. *Permanẽs in seculum seculi.* cæterũ, quia quum hoc reli-

gioso, & sancto timore imbuti fuerimus, ad tribulationes, ad labores, ad pericula, ad mortem parati simus, necesse est (à domo
Ipset.4. enim sua incipit iudicia sua Deus, tribulationes ei immittens, & affligens eam, vt dum iu-
1.Cor.11. dicamur, à Domino corripiamur, & non cũ hoc mundo damnemur) ideo ad considerationem iudiciorum eius nos deducens, statim sequitur. *Iudicia domini*. Et quoniam ea iusta, vera, sancta credere debemus, licet aliquando iustos affligi, & impios in bonorum omniũ abundantiam viuere videamus, ideo subiungit. *Vera iustificata in semetipsa.* Vel dicamus quòd quia mali non cogitant iudi-
prou. 28. cium, qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia, propterea ad timorem annectit iudicia Dei, quia cum hoc sancto timore nos donauerit dominus, statuit timor iste ante oculos cordis nunc peccata, quæ fecim⁹, vt in flagella parati simus, nunc æterna supplicia, quæ meruimus, vt in eorum comparatione vniuersa, quæ patimur, delicias reputemus, nũc cœlestia prœmia, ad quæ tẽdimus, vt credamus, quoniam non sunt cõ-
Rom.8. dignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis, nunc vniuersale iudicium, in quo aperientur libri,
in

in quibus omniũ opera ſcripta cõperientur, & vnicuiq; pro meritis reddetur; ideo ſtatĩ ad hũc timorem annectens iudicia dicit. *Iudicia domini*. Quæ quoniam ſumma veritate nitentur, & ex ipſius rei euentu iuſtiſſima probabuntur, ideo ſubiungit. *Vera juſtificata in ſemetipſa*. Quæ iudicia quoniã à iuſtis maxime deſiderantur, vt finem habeat omnis iniquitas, & ſubdita ſint oĩa Deo. (vnde in Ioanne legimus, ſanctos ad lætitiam ſeipſos viciſſim incitantes in his verbis. Laudem dicite Deo noſtro omnes ſancti eius, & audiui vocem quaſi tubæ magnæ, & ſicut vocẽ aquarum multarum dicentium, Allelluia, quoniam regnauit Dominus Deus noſter omnipotens, gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni) ideo ſubiungit. *Deſiderabila ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel, & fauum*. Et quia vt ſuperius diximus ex ſententia Salomonis, mali non cogitant iudicium, ſed qui inquirunt Dominum aduertunt omnia, propterea inquit. *Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea*. Conſiderans ſingula diligenter cum timore, & tremore; & quia horum iudiciorum meditatione vniuerſa vitia tolluntur, & omnes in nobis virtutes accreſcũt,

Apoc. 19.

virtutum vero exercitatione charitatis perfectio acquiritur, ac possidetur, diligentibus autẽ se præparauit Deus omnia bona, quæ in cœlis sunt, quæ tanta sunt, vt in cor hominis non ascendant, propterea inquit. *In custodiendis illis retributio multa.*

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me domine, & ab alienis parce seruo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.

Postquam Apostoli legem Christi ab eius iustitia, integritate, perfectione commendarunt, ad improbationem vitiorum se cõferunt, dicentes. *Delicta quis intellit?* ex his, quæ diximus, quis intelligit, quis est, qui ex propositis concludat delicta, esse sequenda? quis est, qui in lege proposita possit intelligere vitia esse compræhensa? Nemo. Lex enim Christi vos docet detestari vitia, plurimi æstimare virtutem, & castè adire ad
2.Cor. 12 Deum. sunt igitur fugienda vitia, cum nulla sit participatio iustitiæ cum iniquitate, nulla societas luci ad tenebras, nulla couen-

tio Christi ad Belial, nullus consensus templo Dei cum Idolis. Deinde totius Ecclesiæ personam suscipientes ad Deum fundũt preces suas, & inquiunt: *Ab occultis meis munda me domine, & ab alienis parce seruo tuo, si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.* quibus nos instruunt, vt tria peccatorum genera vitemus, quam maxime possumus, & immaculati, sanctiq; in hoc seculo viuemus. Quorum primum genus est occultorum; alterum est alienorum, tertium eorum, quæ à nobis perpetrantur, & ideo nostra dicuntur à propheta. *Si mei non fuerint dominati*. Hæc eò facilius possunt à nobis declinari, quò manifestius cognoscuntur. Illa vero, quæ nobis incognita sunt, fugiemus, si totis viribus enitemur, vt omni occasioni occurramus, & ne aliquorum ignoranter rei constituamur, pro his redimendis ad Deum deuotis supplicationibus confugiemus. Reliqua expenito, sicut superius exposita sunt.

Laus Deo.

INDEX RERVM IN HOC OPVSCVLO CONTENTARVM.



INDEX RERVM IN HOC OPVSCVLO CONTENTARVM.



quæ

D

gioſo, & ſancto timore imbuti fuerimus, ad tribulationes, ad labores, ad pericula, ad mortem parati ſimus, neceſſe eſt (à domo
Ipſet.4. enim ſua incipit iudicia ſua Deus, tribulationes ei immittens, & affligens eam, vt dum iu
1.Cor.11. dicamur, à Domino corripiamur, & non cũ hoc mundo damnemur) ideo ad conſiderationem iudiciorum eius nos deducens, ſtatim ſequitur. *Iudicia domini*. Et quoniam ea iuſta, vera, ſancta credere debemus, licet aliquando iuſtos affligi, & impios in bonorum omniũ abundantiam viuere videamus, ideo ſubiungit. *Vera iuſtificata in ſemetipſa*. Vel dicamus quòd quia mali non cogitant iudi-
prou. 28. cium, qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia, propterea ad timorem annectit iudicia Dei, quia cum hoc ſancto timore nos donauerit dominus, ſtatuit timor iſte ante oculos cordis nunc peccata, quæ fecim⁹, vt in flagella parati ſimus, nunc æterna ſupplicia, quæ meruimus, vt in eorum comparatione vniuerſa, quæ patimur, delicias reputemus, nũc cœleſtia prœmia, ad quæ tẽ
Rom.8. dimus, vt credamus, quoniam non ſunt cõdignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis, nunc vniuerſale iudicium, in quo aperientur libri,
in

in quibus omniũ opera ſcripta cõperientur, & vnicuiq; pro meritis reddetur; ideo ſtatĩ ad hũc timorem annectens iudicia dicit. *Iudicia domini.* Quæ quoniam ſumma veritate nitentur, & ex ipſius rei euentu iuſtiſſima probabuntur, ideo ſubiungit. *Vera juſtificata in ſemetipſa.* Quæ iudicia quoniã à iuſtis maxime deſiderantur, vt finem habeat omnis iniquitas, & ſubdita ſint oĩa Deo. (vnde in Ioanne legimus, ſanctos ad lætitiam ſeipſos viciſſim incitantes in his verbis. Laudem dicite Deo noſtro omnes ſancti eius, & audiui vocem quaſi tubæ magnæ, & ſicut vocẽ aquarum multarum dicentium, Allelluia, quoniam regnauit Dominus Deus noſter omnipotens, gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni) ideo ſubiungit. *Deſiderabila ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel, & fauum.* Et quia vt ſuperius diximus ex ſententia Salomonis, mali non cogitant iudicium, ſed qui inquirunt Dominum aduertunt omnia, propterea inquit. *Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea.* Conſiderans ſingula diligenter cum timore, & tremore; & quia horum iudiciorum meditatione vniuerſa vitia tolluntur, & omnes in nobis virtutes accreſcũt,

Apoc. 19.

virtutum vero exercitatione charitatis perfectio acquiritur, ac possidetur, diligentibus autẽ se præparauit Deus omnia bona, quæ in cœlis sunt, quæ tanta sunt, vt in cor hominis non ascendant, propterea inquit. *In custodiendis illis retributio multa.*

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me domine, & abalienis parce seruo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.

Postquam Apostoli legem Christi ab eius iustitia, integritate, perfectione commendarunt, ad improbationem vitiorum se cõferunt, dicentes. *Delicta quis intellit?* ex his, quæ diximus, quis intelligit, quis est, qui ex propositis concludat delicta, esse sequenda? quis est, qui in lege proposita possit intelligere vitia esse compræhensa? Nemo. Lex enim Christi vos docet detestari vitia, plurimi æstimare virtutem, & castè adire ad
2.Cor. 12 Deum. sunt igitur fugienda vitia, cum nulla sit participatio iustitiæ cum iniquitate, nulla societas luci ad tenebras, nulla couentio

tio Christi ad Belial, nullus consensus templo Dei cum Idolis. Deinde totius Ecclesiæ personam suscipientes ad Deum fundũt preces suas, & inquiunt: *Ab occultis meis munda me domine, & ab alienis parce seruo tuo, si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.* quibus nos instruunt, vt tria peccatorum genera vitemus, quam maxime possumus, & immaculati, sanctiq; in hoc seculo viuemus. Quorum primum genus est occultorum; alterum est alienorum, tertium eorum, quæ à nobis perpetrantur, & ideo nostra dicuntur à propheta. *Si mei non fuerint dominati*. Hæc eò facilius possunt à nobis declinari, quò manifestius cognoscuntur. Illa vero, quæ nobis incognita sunt, fugiemus, si totis viribus enitemur, vt omni occasioni occurramus, & ne aliquorum ignoranter rei constituamur, pro his redimendis ad Deum deuotis supplicationibus confugiemus. Reliqua expenito, sicut superius exposita sunt.

Laus Deo.

INDEX RERVM IN HOC OPVSCVLO CONTENTARVM.



Cælorum

quæ

D

E

Eccle-

F

G

Gra-

vel

I

L

N

O

Palpe-

P

Sacra


Taci-

T

V

Veri-

LAVS DEO.



ERRA-

Errata, quæ adnotare potuimus, ſic corriges.

fol.4. Quod audaciſſimè:lege quod hi audaciſſimè.
fol.11. Præcibus. lege precibus.
fol.31.Snulphur. lege ſulphur.
fol. eodem. Cælo. lege Cœlo.
fol.38. confingant. lege confingunt.
fol. 40. ſi. lege ſi.
fol. 41. in adnotatis in margine. pun. lege. prin.
fol. 64. eiecerunt. lege effecerunt.
fol. 65. foruicationis. lege fornicationis.
fol. 70. quomodo ſeruamur per baptiſmum. lege quomodo ſeruamur? Per baptiſmum.
fol. eodem. carnalis ad quam. carnalis generationis.
fol. eodem. ſpecialis. ſpiritualis.
fol. 87. Secretus. ſecretus.
fol. 95. & quali lege. qualis.
fol. 97. ſub iungit. lege ſubiungit.
fol. 98. voluntate. lege voluntati.
fol. eodem. cius. lege eius.
fol. 99. nimrium. lege nimirum.
fol. 100. Iuſtitiæ. lege Iuſtitia.
fol. 104. futuros. lege futuro.
fol. 108. & quis. lege ecquis.
fol. 109. conſenſa. lege conſenſu.
fol. 120. eum. lege cum.
fol. 135. ſantus. lege ſanctus.
fol. eodem. ſum. lege ſuum.
fol. 138. inquiut. lege inquiunt.
fol. 141. attratamento. lege attramento.
fol. eodem. conuertit. lege conuertens.

Regeſtum.

A B C D E F G H I k.

Omnes ſunt quaterniones.



R O M Æ,

Ex Typographia Vincentij Accolti. M.D.LXXXVI.

